ACTIO IN HENRICVM GARNETVM

Societatis Iesuiticæ in Anglia

SVPERIOREM,

Et cæteros qui proditione longè immanissimà Sereniss.
BRITANNIAE MAGNAE Regem, & Regni
ANGLIAE *Ordines puluere fulminali*
è medio tollere coniurârunt:

Vnà cum Orationibus Dominorum
Delegatorum.

Adiectum est supplicium de HENRICO GARNETO
Londini sumptum.

Omnia ex Anglico à G. CAMDENO
Latinè versa.



LONDINI
Excudebat *Ioannes Norton*, Serenissimæ Regiæ Maiestatis
in Latinis, Græcis, & Hebraicis Typographus.
Ann. Dom. 1607.







LECTORI.



E horrenda, execranda, & longè immanissima proditione, & coniuratione Serenissimum Magnæ Britanniæ monarcham & vniuersos Regni Angliæ Ordines in Comitijs Parlamentarijs semel simulque puluere fulminali è medio tollendi, *aliquid in lucem ædere, & minùs necessarium, & omninò inutile prima fronte videatur. Primùm, cùm Iustitia suo munere perfuncta ex singularibus ipsorum proditorum Confessionibus (quas planè & publicè quando pro Tribunali sisterentur, agnouerunt & confirmârunt, maxima hominum multitudine circumfusa) omnem scrupulum tollat, & singulis cumulatissimè satisfaciat; maximè cùm sententiâ latâ, in ipsos suo tempore ex lege meritò sit animaduersum. Vt enim Lex Iustitiæ est fundamentum, ita eadem Iustitia rectè administrata Reipub. est basis &*

aurea illa amussis quam ad causas Ciuiles & criminales decidendas Deus ipse adhibendam præscripsit. Secundò quòd hæ proditiones, siue Læsæ Maiestatis Crimina sunt adeò manifesta, testata, & maioribus quasi theatris proposita, vt planè nemo apud nos eadem ignorare præ se ferre possit. Necessarium tamen est, & apprimè vtile erit aliquid de iisdem in publicum dare, tùm quòd incertæ, mendaces, & malè consutæ Relationes de argumentis & probationibus pro Tribunali prolatis per circulos circumferuntur, tùm etiam quòd præsentium & posterorum intersit vt Ortus & Auctus atrocissimæ huius & nefandissimæ coniurationis cognoscantur, & quinam in eadem præcipui Authores, & Actores extiterint, intelligatur.

IN



IN PRIORI ACTIONE
Die Lunæ, XXVII. Ianuarij
Anno MDCV. *in Prætorio*
Westmonasteriensi hi fue-
runt Domini Delegati:

Comes Nottinghamiæ.
Comes Suffolciæ.
Comes Wigorniæ.
Comes Deuoniæ.
Comes Northamptoniæ.
Comes Salisburiæ.
Primarius siue Capitalis Iustitiarius Angliæ.
Primarius siue Capitalis Baro Scaccarij.
Petrus Warberton *Eques auratus, & Communium Placitorum Iustitiarius.*

Sistebantur



Sistebantur pro Tribunali hi qui in quęstionem vocati de criminibus lęsę Maiestatis in Comitatu Midlesexiæ:

1. *Robertus Winter* Armiger.
2. *Thomas Winter* Generosus.
3. *Guido Fawkes* Generosus.
4. *Ioannes Grant* Armiger.
5. *Ambrosius Rookwood* Armiger.
6. *Robertus Keyes* Generosus.
7. *Thomas Bates.*

8. *Euerardus Digbye* ex ordine Equestri qui in quæstionem vocatus erat de crimine læsæ Maiestatis in *Comitatu Northampton.*



Crimina



Crimina læsæ Maiestatis de quibus Robertus Winter *Armiger*, Tho. Winter *Generosus*, Guido Fawkes *Generosus*, Ioannes Grant *Armiger*, Ambrosius Rockwood *Armiger*, Robertus Keies *Generosus*, & Thomas Bates *in iudicium vocati fuere iuxta forensem Iuris Municipalis Angliæ formulam.*



Vòd cùm Serenissimus Rex Dominus noster Consiliariorum suorum suasu, & consensu constituisset Ordines Regni conuocare & Comitia Parlamentaria in Vrbe Westmonasteriensi de rebus maximi momenti quæ ad Regiam Maiestatem, Regnum, & Ecclesiam spectarunt, habere; *Henricus Garnet* Superior Iesuiticæ Societatis in Anglia (aliàs ementitis nominibus *Wally*, *Darcy*, *Roberts*, *Farmer*, & *Henricus Philips* appellatus) *Oswaldus Tesmond* Iesuita, aliàs *Oswaldus Greenwell*, *Ioannes Gerrard* Iesuita (aliàs *Lee* & *Brooke* nominatus) *Robertus Winter* Armiger, *Tho. Winter* Generosus, *Guido Fawks* Generosus, aliàs *Guido Iohnson*, *Robertus Keies* Generosus, & *Tho. Bates* famulus *Roberti Catesby* Armigeri simul cum *Roberto Catesby*, & *Thoma Percy* Armigeris, *Ioanne Wright*, & *Christophero Wright* Genero-

ſis contra Regiam Maieſtatem conuenerunt, & *Henricus* ille *Garnet*, *Oſwaldus Teſmond*, *Ioannes Gerrard* alijque Ieſuitæ malitioſè, perfidè, & proditoriè *Thomæ Winter*, *Guidoni Fawkes*, *Roberto Keies*, *Thomæ Bates*, nec non *Roberto Catesby*, *Thomæ Percy*, *Ioanni Wright*, *Chriſtophero Wright*, & *Franciſco Treſham*, confirmârunt & perſuaſêrunt Sereniſſimum Regem noſtrum, Proceres & Prꝑſules, vniuerſamque Regni Angliæ plebem (Papiſtis exceptis) eſſe hæreticos, omneſque hæreticos anathematis vinculo eſſe innodatos & excommunicatos, nullumque hæreticum poſſe regnare: ſed licitum meritoriumque eſſe Sereniſſimum Regem noſtrum, & ſingulos in Anglia hæreticos è medio tollere, ad promouendam & propagandam fucatam illam, & vſurpatam Pontificis Romani authoritatem & iuriſdictionem, & ad ſuperſtitioſam illam Romanam religionem in Anglia reſtaurandam. Cui proditoriæ perſuaſioni, *Thomas Winter*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, *Thomas Bates*, *Robertus Catesby*, *Tho. Percy*, *Ioannes Wright*, *Chriſtopherus Wright*, & *Franciſcus Treſham* perfidè aſſenſum præbuerunt, & inde *Henricus* ille *Garnet*, *Oſwaldus Teſmond*, *Ioannes Gerrard*, & alij Ieſuitæ, *Tho. Winter*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, & *Tho. Bates*, ſicut *Robertus Catesby*, *Tho. Percy*, *Ioannes Wright*, & *Franciſcus Treſham*, perfidioſiſſimè conſenſerunt & conſpirârunt puluere ſulphureo ſiue fulminali, quaſi vno flatu erumpente, Regem noſtrum Sereniſſimum, Reginam illuſtriſſimam & gratioſiſſimam, Principem nobiliſſimum, *Henricum* eius filium primogenitum Angliæ amorem & delitias, Prꝑſules, & Proceres, grauiſſimos Regni Iudices, Equites Auratos, Ciues & Burgenſes cum quamplurimis

rimis alijs fidelissimis subditis & Regis ministris ad Comitia Parliamentaria euocatis nulla Maiestatis, dignitatis, Ordinis, Sexus, ætatis, aut loci ratione habita, atrocissimè, immanissimè, perfidiosissimè ex improuiso in altum efflare, membratim discerpere & funditùs è medio tollere. Præterea conspirârunt non solùm Regiam sobolem masculam penitùs excindere, verumetiam quòd proditores illi cum alijs eiusdem farinæ nobilissimas Dominas *Elizabetham* & *Mariam* Serenissimi Regis nostri filiolas interciperent, & *Elizabetham* Angliæ Reginam denuntiarent, simulque fallacia quædam edicta eiusdem Elizabethæ nomine promulgarent; cum hac tamen inter ipsos proditores cautione, vt ne verbum quidem fieret de religione immutanda, nec ipsi proditores se huius horrendi & nefarij sceleris authores vel actores profiterentur, donec eas copias contraxissent quæ prẹcogitata scelera ad effectum perducere possent. Tunc autem eadem scelera agnoscerent & comprobarent, vt ex eorum numero *Quæ non laudantur nisi peracta.* Verùm edicto illo fallaci & ementito omnibus significarent singula incommoda & grauamina in Regno vt populo satisfieret, submouenda esse. Quodque ad securiorem sceleris occultationem & eiusdem consummationem, tam *Thomas* ille *Winterus*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, *Thomas Bates*, quàm *Robertus Catesby*, *Thomas Percy*, *Ioannes Wright*, *Christopherus Wright*, & *Franciscus Tresham* nefario consilio & suasu *Henrici Garnet*, *Oswaldi Tesmond* & *Ioannis Gerrard*, & aliorum Iesuitarum scelerati consenserunt & coniurârunt, quod *Thomas* ille *Winter*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, *Thomas Bates* nec non *Robertus Catesby*, *Thomas Percy*, *Ioannes*

Wright, & *Christopherus Wright* seorsim conceptis verbis Euangelijs tactis, & Eucharistia sumpta iurarent proditorias has machinationes occultare nec easdem directè vel indirectè verbis aut circumstantijs, aperire, nec ab incepto scelere destituros sine consensu trium coniuratorum, vnde tam *Tho. Winter*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, *Tho. Bates*, quàm *Robertus Catesby*, *Tho. Percy*, Ioannes *Wright*, & *Christopherus Wright*, & Franciscus *Tresham* perfidè & proditoriè iusiurandum seorsim iurarunt Eucharistiæque sacramentum, *Henrico Garnet*, *Ioanne Gerrard*, *Oswaldo Tesmond*, & alijs Iesuitis ministrantibus, sumpserunt. Ad hæc *Thomas* ille *Winterus*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, *Thomas Bates*, simul cum *Roberto Catesby*, *Thoma Percy*, *Ioanne Wright*, *Christophero Wright*, & Iesuitis illis *Henrico Garnet*, *Ioanne Gerrard*, *Oswaldo Tesmond*, alijsque authoribus & consultoribus ad scelus illud machinandum & omninò perficiendum, perfidè consenserunt & coniurarunt cuniculum agere sub ædibus Parliamentarijs, & ibidem magnam vim pulueris fulminalis supponere: & perinde ac consenserunt, *Thomas* ille *Winter*, *Guido Fawkes*, *Rob. Keyes*, & *Thomas Bates*, vnà cum *Roberto Catesby*, *Thoma Percy*, *Ioanne Wright*, *Christophero Wright*, latenter clandestinis operibus, & magno molimine suffoderunt & ad medium vsque fundamenti parietis ædium Parliamentariarum cuniculum egerunt, eo consilio vt ibi magnam vim pulueris fulminalis supponerent ad scelus quod susceperant conficiendum. Et *Thomas* ille *Winter*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, & *Thomas Bates*, vnà cum *Roberto Catesby*, *Thoma Percy*, *Ioanne Wright*, *Christophero Wright*, cùm deprehendissent

opus

opus esse plenum difficultatis, fundamentum illud quod solidissimum & duodecim plùs minùs pedes crassum, & accepissent cryptam quandam Parliamentarijs ædibus esse subiectam, & habitationi *Thomæ Percy* adiunctam, tunc annuo reditu locandam esse: *Thomas* ille *Percy*, *Henrico Garnet*, *Oswaldo Tesmond*, *Ioanne Gerrard*, & alij Iesuitis instigantibus, vnà cum *Thoma Winter*, *Guidone Fawkes*, *Roberto Keyes*, & *Thoma Bates*, vnà cum *Roberto Catesby*, *Ioanne Wright*, & *Christophero Wright* cryptam illam ad tempus conduxit, & proditores illi in eandem viginti cados pulueris fulminalis è domo *Thomæ Percy* latenter & nefariè intulerunt ad susceptum flagitium perpetrandum. Posteà autem *Henricus* ille *Garnet*, *Oswaldus Tesmond*, *Ioannes Gerrard*, & alij Iesuitæ, *Thomas Winter*, *Guido Fawkes*, *Robertus Keyes*, & *Tho. Bates*, vnà cum *Roberto Catesby*, *Tho. Percy*, *Ioanne Wright*, & *Christophero Wright*, conuenerunt *Robertum Winter*, *Ioannem Graunt*, *Ambrosium Rookwood*, & *Franciscum Tresham*, Armigeros, & ijsdem machinationes, consilia, & scelera suscepta sigillatim communicarunt, & ab ijsdem petierunt vt semet *Henrico* illi *Garnet*, *Oswaldo Tesmond*, *Ioanni Gerrard*, *Thomæ Winter*, *Guidoni Fawkes*, *Roberto Keyes*, *Thomæ Bates*, nec non *Rob. Catesby*, *Thomæ Percy*, *Ioanni Wright*, *Christophero Wright*, in consceleratis illis machinationibus consociarent, & equos, arma, aliaque necessaria ad scelera perperranda appararent. Cui nefariæ petitioni *Robertus* ille *Winter*, *Ioannes Grant*, *Ambrosius Rookwood*, & *Franciscus Tresham*, assensum, & consensum adhibuerunt & proditoriè ijsdem semet consociarunt & adhæserunt. Itaque eo consilio iusiuran-

dum quod modò diximus, iurarunt, & Eucharistiam, Iesuitis illis ministrantibus, sumpserunt: equos, arma, & alia necessaria vt proditoriè efficerent quod susceperant, appararunt. Postea Proditores illi decem alios pulueris fulminalis cados compararunt, & in Cryptam intulerunt malè metuentes ne puluis ille iam anteà ibi suppositus, humesceret; magnamque illam vim pulueris fulminalis lignorum strue, ne fortè conspiceretur, clandestinò & perfidè obtexerunt & occultarunt. Paucisque interpositis diebus, Proditores illi quatuor dolia puluere fulminali oppleta procurarunt & in Cryptam intulerunt, quibus & reliquis cadis ferramenta & saxa imposuerunt, nec non lignorum strue occultarunt: posteà *Guido Fawkes* ad nefaria illa consilia & machinationes exequenda *Henrico Garnet*, *Oswaldo Tesmond*, *Ioanne Gerrard*, alijsque Iesuitis, necnon *Roberto Winter*, *Thoma Winter*, *Rob. Keyes*, *Thoma Bates*, *Ioanne Grant*, & *Ambrosio Rookwood*, vnà cum *Rob. Catesby*, *Thoma Percy*, *Ioanne Wright*, *Christophero Wright*, & *Francisco Tresham* instigantibus, sibi comparauerat & penes se habuerat fomitem igniarium ad puluerem illum fulminalem inflammandum vt horrenda hæc proditio perficeretur. Porrò postquam execrandum hoc scelus diuina benignitate & misericordia non sine miraculo pauculis horis antequam perficiendum erat, detectum fuerat, *Henricus* ille *Garnet*, *Oswaldus Tesmond*, *Ioannes Gerrard*, *Rob. Winter*, *Thomas Winter*, *Robertus Keyes*, *Tho. Bates*, *Ioannes Grant*, & *Ambrosius Rookwood*, nec non *Rob. Catesby*, *Thomas Percy*, *Ioannes Wright*, & *Christopherus Wright* fuga se subduxerunt, eo animo vt Papistas quos poterant ad tumultum & in actualem & publi-

cam rebellionem contra Serenissimum Regem Dominum nostrum concitarent: variosq; fictos & falsos rumores passim disseminârunt quasi Papistis iugula tunc peterentur, vnde Papistarum nonnulli arma induerunt & in actualem & publicam rebellionem contra Serenissimum Regem Dominum nostrum in diuersis regni Angliæ partibus perfidè proruerunt.

Horum criminum postulati, singuli responderunt se minimè reos esse; Deóque & Patriæ caussam suam commiserunt.

Edwardus Philips *vir Ordinis Equestris Regius ad Legem Administer siue* Seruiens *accusationis capita in hanc sententiam explicauit.*

QVod honoratissimi Domini Delegati ad vos hodie refertur, vestroque examini Equites Aurati &c. iurati, subijcitur, Crimen est læsæ Maiestatis, idque tam atrox, immane, & horrendum, vt ex omni seculorum memoria homo planè nemo eiusmodi quicquam,

Vel fando audiuerit;
Vel animo agitauerit;
Nec quis Infernus vel terrenus Cacodæmon hactenus sit molitus;

Si enim execrandum sit vel infimæ sortis quempiam occidere.
Si à Deo inunctum violare, sit ipsi Deo aduersari;
Si cæde & sanguine Principes, Regna, & Respublicas subruere, sit Deo, hominibusque exosum, quod omnibus veræ Christianis agnoscendum;

Quanto

Quanto atrocius scelus esse singuli Christiani iudicent, occidere, & funditùs tollere Regem, Reginam, Principem, Progeniem cum Regno & Repub. qui singuli omnibus numeris sunt adeò perfectè absoluti vt Deus approbet, orbis terrarum cum admiratione suspiciat, omnes fideles Angli cum honore obseruent, & Papa solummodo cum suis asseclis ægris oculis intueatur & inuideat.

Procedendi formula in hoc crimine trifariam est diuidenda, scilicet,

In { 1. Declarationem. 2. Aggrauationem. 3. Probationem. }

Mihi autem pro ratione muneris incumbit, & præscribitur, vt in accusationi capitibus declarandis, & explicandis mea versetur industria.
Reliqua illa duo illi cuius interest sunt relinquenda.

Declaratio hæc in quatuor rebus versatur,

Primò, in Coniuratorum personis & qualitatibus.
Secundò, in re coniurata.
Tertiò, in ratione coniurationem perficiendi & exequendi.
Quartò, in ipsius coniurationis scopo.

Quod ad Personas hi fuere,

{ *Garnetus,* *Gerrardus,* *Tesmondus.* } Iesuitæ non tunc temporis intercepti.

Thomas

Thomas Winter, *Guido Fawkes,* *Robertus Keyes,* *Thomas Bates,* *Euerardus Digby,* *Ambrosius Rockwood,* *Iohannes Grant,* *Robertus Winter,*	Pro Tribunali.
Robertus Catesby, *Tho. Percy,* *Iohannes Wright,* *Christopherus Wright.*	In rebellione cæsi.

Franciscus Tresham modò defunctus.

Qui singuli Romanistæ obfirmati & ex tam perfida & irreligiosa schola deprauati discipuli.

Quod ad rem coniuratam, versabatur illa,

Primò, In Rege abdicando & de suo solio deturbando.

Secundò, In eodem cum Regina & Principe extinguendo.

Tertiò, In rebellione & seditione concitanda.

Quartò, In miseranda clade subditis inferenda.

Quintò, In immutanda & subuertenda Religione hic constabilita.

Sextò, In Regno vastando & labefactando, hostesque exteros inducendo.

Quod ad Rationem & media exequendi

Inter eos conuentum, conclusum, & determinatum erat,

1. Regem & subditos (Papistis exceptis) esse hæreticos.

2. Omnes esse diris deuotos, & à Papa excommunicationis vinculo innodatos.
3. Nullum hæreticum regnare debere.
4. Fas esse & meritorium Regem & reliquos omnes hæreticos è medio tollere.

Hanc autem sceleris perpetrandi rationem esse inter ipsos conuenit.

1. Regem, Reginam, Principem, Proceres & Pręsules Regni, Equites & Burgenses Parlamentarios puluere fulminali efflandos & delendos.
2. Regiam prolem masculam radicitùs extirpandam.
3. ELIZABETHAM & MARIAM Regis filias in ipsorum custodiam attrahendas, Dominamque ELIZABETHAM Angliæ Reginam esse promulgandam.
4. Edictum nomine ELIZABETHAE diuulgandum, in quo nulla religionis immutandæ mẽtio fieret, nec ipsos esse proditionis conscios donec vires & copias contraxissent: & tunc publico edicto significarẽt omnia grauamina in regno penitùs esse submouenda.
5. Iusiurandum mutuò inter ipsos firmandum, & Eucharistiam sumendam. Primò vt quàm maximè rem celarent & occultarent, deinde vt eandem persequerentur, nisi consensu trium exempti fuissent.
6. Rege, Regina, Principe, Regia prole mascula, Proceribus, & Præsulibus, cum Equitibus &

& Burgensibus sublatis, rem exteris Principibus significarent, & Edmundum *Bainham* læsę Maiestatis antea conuictum, quiq; se appellauit *Damnatorum Antesignanum*, ad Papam esse amandandum, dignus vtiq; Legatus inter Papam & Plutonem.

7. Parlamentarijs Comitijs ad septimum diem Februarij prorogatis, Mense Decembri cuniculum egerunt sub Camera Parlamentaria, eo consilio vt vim magnam pulueris fulminalis ibi disponerent, sed cùm Parlamentaria illa Comitia ad diem tertium Octobris prorogarentur: Quadragesimali tempore subsequente Cryptam conduxerunt sub Camera Parlamentaria in qua viginti fulminalis illius pulueris cados collocarunt.

8. *Robertum Winter*, *Ioannem Grant*, & *Ambrosium Rockwood* præstito iuramento in societatem asciuerunt ad bellicum apparatum instruendum. Die vicesimo Iulij decem alios pulueris fulminalis cados in criptam intulerunt, quibus ferramenta, ingentia saxa imposuerunt, & omnia lignorum strue obtexerunt.

Die 20. Septembris quatuor dolia pulueris illius cum alijs saxis & ferramentis in Cryptam intulerunt.

Die 4. Nouembris Parlamentarijs Comitijs in diem sequentem prorogatis, hora noctis vndecima *Guido Fawks* (reliquorum suasu) igniarium & funiculos stupeos ad puluerem

rem postero die inflammandum apparauerat.

Hac proditione non sine miraculo detecta, illicò arma induerunt, & alios in apertam rebellionem concitarunt, dispersis hinc inde rumoribus, quòd Pontificorum siue Papistarum iugula iam essent petenda.

Hanc explicationem excepit *Edwardus Cooke Eques Auratus, Regiæ Maiestati Attornatus Generalis, siue Procurator Regius qui in hanc sententiam orationem habuit.*



EX his quæ Regius ad Legem *Seruiens* iam explicauit vobis honoratissimi Domini & reliquis huius amplissimi & grauissimi consessus & conuentus, certò constat hoc esse immanissimum & maximum læsæ Maiestatis crimen quod ante hæc tempora in Britannia conflatum, idq; in maximum quem Britannia hactenus vidit Monarcham. Verùm cùm hic consessus & conuentus plura audierit, & radices ramosque huius sceleris hactenus latitantia in lucem producta viderit, verè dixerit : *Quis hæc posteris sic narrare poterit, vt facta non ficta esse videantur ?* Itaque in hac tanti momenti caussa in quam & cuius actionem vniuersi orbis Christiani oculi hodie intentè conijciuntur, à vobis bona vestra cum venia mihi efflagitandum est vt paulò fusiùs & non qua soleo breuitate succincta dicam : & breuior tamen ero quàm res ipsa necessariò exigat. In ipso autem huius caussæ limine operæpretium mihi videtur nonnullis illisq; candidis

didis & æquis rerum estimatoribus paucis satisfacere qui non solum sunt mirati, verum etiam ægerrimè tulerunt hanc actionem non citiùs institutam fuisse cùm causa sit atrocissima, & horror eiusdem instet continuus.

1. Ex Naturæ ordine est vt grauiora lentiùs moueantur, iuxta illud Poetæ *Tarda solet magnis rebus adesse fides.* Et de his verissimè dicamus: *Nunquam ante dies nostros talia acciderunt.*

2. *Veritas temporis filia*, & certè maximè hac in causa in qua examinationibus tempestiuis & frequentibus, & sæpius iteratis, primùm res maximi momenti nuperrimè diluxerunt, Secundò nonnulli delinquentes idque capitaliter nuperrime sunt intercepti, Tertiò aliqui proditionis antesignani prius ignoti nunc ante omnium oculos sunt prolati, scilicet Iesuiticæ societatis Patres, Quartò libri hęretici proditorij & damnandæ lectionis de *Aequiuocatione* & *de officio Principis Christiani* apud Franciscum *Tresham* sunt deprehensi.

3. In hisce examinationibus viginti quatuor dies seorsim fuere insumpti.

4. Aliàs enim qui minimè proscriptus extremo supplicio fuisset affectus, *Guido* enim *Fawkes* aliquantisper sub ementito nomine Ioannis *Iohnson* delituit, adeò vt si actio sub eo nomine fuisset accelerata & ille suspendio perijsset, quanquam de persona constitisset, procedendi tamen formula ex iure & ordine non fuisset.

5. Regi pro sua prudentia & singulari moderatione visum erat vt quo tempore Parlamentarij Ordines conuenirent, huius caussæ cognitio haberetur

quandoquidem ad Parlamentarios ordines potissimum ſpectaret.

6. Quod ad crimina, adeò ſunt immenſa & *tranſcendentia* ex tam truculentis & tremendis ſceleribus conflata vt nullo argumento, illatione, aut circumſtantijs exaggerari potuerint, idque triplici ratione. Primùm quod hoc ſcelus ſit *Primæ impreſsionis* & itaque ſine nomine quod adæquatum eſſe poterat, ad huius atrocitatem ſatis exprimendam: nec vllum ſane nomen quod huic conueniat apud Legum latores, vſquam occurrit. Crimen enim atrociſſimum & grauiſſimum quod illi animo comprehendere poterant, *crimen læſæ Maieſtatis* nominarunt, verum huic ſceleri nomen deficit conſentaneum, quod non ad Maieſtatem lædendam ſed funditùs exſcindendam, nec ſolum in Regis ſed etiam Regni perniciem & ruinam ſpectauit, id eſt, ad conuellendam & obruendam machinam & molem florentiſſimæ antiquiſſimæ & celeberrimæ Monarchiæ, imo ad nomen & nationem funditùs delendam, *Nec taceas igitur neque compeſcaris Deus quoniam ecce inimici tui ſonuerunt: & qui oderunt te extulerunt caput. Dixerunt, venite & diſperdamus eos de gente & non memoretur nomen Iſrael vltrà.*

Secundò, *Sine exemplo eſt*, exempla enim omnia ſuperat ſiue facta ſiue ficta etiam à tragicis Poetis, qui omnes ingenij neruos intendunt, vt horrendas, & cruentas cædes ob oculos proponant.

Tertiò, *Sine modo eſt*, neque enim terminatur vel cancellis hoc ſcelus circumſcribitur ſed prout Mathematicorum linea eſt, quæ *diuiſibilis in ſemper diuiſibilia.*

Læſæ Maieſtatis crimen eſt, Regis, Reginæ, vel

Principis

Principis exitium vel animo agitare. Quia hoc crimen perinde est ac arbor cuius radix veneno perfusa in terræ visceribus abdita latet, vt intimus humani animi recessus qui Deo soli patet. Verùm Legum solertia cautum est vt intercipiantur & amputentur huius arboris folia, frondes, & surculi, quæ à proditionis radice progerminant, siue verbis quæ folijs, aut aperto aliquo facto quod germinibus assimilentur, priusquam ad eam perueniant maturitatem, quæ vniuersæ Reipub. vastitatem & perniciem ex improuiso inferant.

Læsæ etiam Maiestatis crimen est, Angliæ Cancellarium, Thesaurarium, Iusticiarios cuiuscunque Tribunalis, Iusticiarios *Assisarum*, vel quemcunque Iudicem, vt in Statuto x x v. Edw. I I I. habetur, dum pro Tribunali sedent & sui officij munere funguntur, interficere. Quandoquidem quilibet Iudex pro Tribunali Regia authoritate sedens, Regis Maiestatem & personam repræsentat, itaque crimen est læsæ Maiestatis illum interficere: cùm ex Legis sententia Rex in foro semper præsens adsit. At in supremo Parlamenti foro quilibet vi & virtute Regiæ authoritatis, rescripto sub magno Angliæ Sigillo iudicialem habeat locum, ex consequenti quemlibet eorum interficere, seorsim crimen fuerat læsæ maiestatis. Præterea huic læsæ Maiestatis crimini accesserunt rebellio, Burglaria, violenta, scilicet in ædes nocturna irruptio, furtum, equorum surreptio &c. Adeo vt huiusmodi & tantum hoc sit crimen, quantum nemo dicendo explicet, nemo exemplo adæquet, nemo cancellis circumscribat.

Quod ad exteros Principes spectat interposita hîc fuit protestatio ad omnem in hac causa labeculam ab illis eluendam. Primò quòd dum regna hostili inuicem

erant animo, hostiles & infestæ actiones iustæ, & honori ducuntur, Secundò non est Regius Procurator, *Seruiens*, aut alius qui Principes illos vel memorant vel innuunt. Nouimus enim de magnis Principibus non nisi cum reuerentia, obseruantia, & honoris præfatione non loquendum, *Legemque in sermone tenendam*. Verum *Guido* ille *Fawkes*, *Winterus*, & reliqui delinquentes qui quæ dicta sunt suis confessionibus ediderunt, itaque qui Regi in lege sunt à Consilijs, tantum quæ delinquentes confessi sunt commemorant, nec alium quempiam in crimen vocant. Illi itidem Serenissimum Dominum nostrum Regem Iacobum immeritò conuitijs proscinderunt, quæ nos non alio consilio memoramus, quàm vt delinquentium scelera & malignitas in medio proponantur. Tertiò quod de exteris Principibus dicitur, ita horum criminibus quasi intexitur & implicatur vt seiungi & separari non possit, & itaque nullo modo prætermittendum.

Vt illud per puluerem fulminalem suscepta proditio in se immanis erat & contra naturam, ita eius conceptio & ortus monstrosissima, vtiq; ex intermortuis proditionum quarundam superiorum cineribus suscitata, triplici enim innixa erat radici, quæ à Iesuitis, & Anglis Romanè Catholicis consita & rigata. Prima in Anglia Mense Decembri & Martio, Secunda in Belgio Mense Iunio, Tertia in Hispania mense Iulio. In Anglia duo emisit brachia alterum mense Decembri Anno vertenti antequam Regina Elizabetha Diuæ Memoriæ è viuis excesit, alterum mense Martio quo excesit.

Anno Salutis MDCI. mense Decembri *Henricus Garnet* Superior Iesuiticæ societatis in Anglia *Robertus*

tus Tesmond Iesuita, *Robertus Catesby*, *vir subacto & versuto ingenio, & profunda perfidia* cum *Francisco Tresham* & alijs nomine & causa Anglorum Romanè Catholicorum *Thomam VVinter*, pro publico Romanè Catholicorum bono in Hispaniam ablegarunt, illi *Garnetus* literas commendatitias *Creswello* Iesuitæ in Hispania agenti perferendos dedit. *Wintero Tesmond* aliàs *Greeneway* Iesuita & vnus ex coniuratis comitem se adiungit, Legationis summa quæ *Wintero* illi inprimis demandata, hæc erat, vt apud Regem Hispaniarum nomine Anglorum Catholicorum intercederet vt Rex exercitum in Angliam submitteret, cui Catholici in Anglia copias suas adiungere fidelemque illi operam nauare prę stò adessent. Præterea cum Hispaniarum Rege ageret vt pensiones aliquas annuas nonnullis Catholicis Anglis Maiestati eius deuotis assignaret. Nec non vt eidem Regi innueret plures in Anglia esse Nobiles & viros militares rerum præsentium pertęsos, quos subleuando eorum inopiam in suas partes facile pertraheret. Cumq; quotiescunque Anglia inuaderetur, maxima difficultas ex equorum transuectione interuenerit, Catholici Angli certò Regi Hispaniarum promitterent se in omnes occasiones M D. vel M. M equos instructos qui ipsi militarent educturos. *Tho. Winter* cùm in Hispaniam vnà cum *Tesmundo* Iesuita appulisset, curante *Creswello* Iesuita conuenit *Petrum Francesam* secundum Secretarium cui rem comumunicauit, vti etiam Duci Lermæ qui asseuerauit hoc Hispaniarum Regi fore gratissimum, seque ad hoc promouendum minimè defuturum.

De loco in quo Hispanorum copiæ quæ Angliam adorientur inter eos conuenit, si maiores essent, Can-

C tium

tium & Essexiæ oportunissima videbantur (obiter notetis quis tunc quinq; Portubus præfuit) sin autem copiæ minores & Anglorũ subsidio considerent, Milfordum in Wallia portum commodissimum iudicarunt.

Hoc tempore Regna hostili inter se erant animo,& Rex Hispaniarum lubens libensque hanc Catholicorum legationem audiuit vtique quod sibi pergratum,& Angliæ Catholicos non minùs quàm suos Castilianos sibi curæ esse respondit. Sed ad plenius responsum *Winterus* iussus erat aulam Regiam æstiuo tempore comitari, demumque Comes Mirandæ respondit Regem 1000000. aureos expensurum quorum altera pars eodem anno, altera vere subsequente persolueretur, simulque postulauit vt Angli fidem non fallerent, vere enim ineunte in Anglia excensionem facere statuit; postremò Regis nomine *Winterum* rogauit vt ab eo per literas intelligeret si interiecto tempore *Elizabetha* Regina fatis concederet. *Thomas Winter* hac spe plenus & tumidus in Angliam Mense Nouembri redijt, remq; totam *Henrico Garnet*, *Roberto Catesby*,& *Francisco Tresham* explicauit ; paulò pòst splendidum Britanniæ sydus Regina *Elizabetha* occasum subijt,

Mira cano, Sol occubuit, nox nulla sequuta est.

Illico *Christopherus Wright* ab *Henrico Garnet* (qui itidem per eum ad rem accelerandam ad *Creswellum* literas dederat,) à *Catesbeio* & *Treshamo* ex parte Anglorum Romanè Catholicorum submissus erat, tum vt Reginæ obitum significaret, tum vt negotium de Anglia inuadenda & pensionibus vrgeret. Vno & altero mense post aduentum *Christopheri Wrighti* in Hispaniam, eò etiam accessit *Guido Fawks* qui XXII. Iunij è Bruxellis Brabantię missus erat à

Guilielmo

Guilielmo Stanley, *Hugone Owen*, (qui se plurimis proditionibus multos iam annos intermiscuerat) & *Baldwino* Iesuitico in Belgio Legato ordinario qui etiam *Guidoni* literas ad *Creswellum* vt rem studiosè diligenterque curaret, perferendas dedit.

Guidoni Fawkes impositum erat, vt Hispaniarum Regi significaret Regem Angliæ asperiùs cum Catholicis acturum, & eandem quam Regina Elizabetha rationem initurum: nec non vt obsecraret Regem copias in Angliam ad Milfordum portum submittere, vbi Catholici præstò illis adessent, eodemque tempore cohortes quæ è Belgio Spinolæ triremibus transuehendæ erant, vbi poterant commodissimè terram conscenderent. Hæc *Christoph. Wright & Guido Fawkes* seorsim Hispaniarum Regi exposuerunt, quibus ille regiè respondit se amplius eiusmodi postulatis aures adhibere nolle, vtique qui Legatum in Angliam de pace tractanda iampridem miserat. Cùm itaque hæc ratio de copijs externis contrahendis neutiquam Catholicis succederet, consilium de puluere fulminali agitarunt, cui *Catesbeius & Treshamus* intererant, vti etiam Comitis Essexiæ rebellioni, in *Watsoni & Clerici* Sacerdotum & hac Iesuitarum proditione, eoúsq; inflammato studio patriæ perniciem anhelarunt.

Quæ deinceps Regius Attornatus prosequutus, in tres partes ipse diuisit, scilicet in Considerationes huius criminis læsæ Maiestatis, in Obseruationes de eodem, & in Collationem proditionis Iesuitarum cum illa sacerdotum, & altera illa *Walteri Rawley* & reliquorum.

Considerationes de proditione illa per puluerem fulminalem numero erant octo: 1 de personis per quos, 2 in quas, 3 quo tempore, 4 quo loco, 5

quibus medijs, 6 quem ad finem, 7 occulta moliendi ratio, 8 admiranda eiusdem detectio.

1 Personæ delinquentes vel per quas, aut Clerici fuerunt, aut Laici: pro vtrisque seorsim obijcitur, sz. Laicos illos eiusmodi esse vt quodammodo excusentur, scilicet aut homines quorum res deploratissimæ, aut infimæ conditionis, aut male-sani, *sine religione, sine sede, sine fide, sine re, & sine spe.* Verùm (vt nemo quamuis perditissimus iniuria afficiatur) certissimum eos nobili genere fuisse ortos, & eximijs naturæ dotibus, licèt nefandissime fuerunt seducti, abducti, deprauati, & Iesuitati; à facultatibus autem satis erant parati, *Percius* fuit ex familia Comitis Northumbriæ, *Guilielmus Stanley* qui *Guidonem Fawkes* in Hispaniam submisit, & *Ioannes Talbot* de Grafton (qui vtcunque se res habet, minime est insons) vterque ex honoratissimis familijs. Quod ad Clericos, falso perhibetur nullum virum Ecclesiasticum huius sceleris esse affinem. Ego autem nullam memini proditionem cui non interfuit sacerdos Romanè Catholicus, at in hac Iesuitas plures non solum se immiscuisse, sed etiam præfuisse constat. Ex illis tres sunt Legati Ordinarij, in Anglia *Henricus Garnet* aliâs *Walley* Iesuitarum in hoc Regno Superior, in Hispania *Creswellus*, in Belgio *Baldwinus*, vt Romæ *Parsonius*, præter emissarios suos, cuiusmodi sunt *Gerrardus*, *Oswaldus*, *Tesmond*, aliâs *Greenewell*, *Hamond*, *Haull*, & è Iesuitica societate alij, adeo vt huius sceleris antesignani sint Iesuitæ. Homines vtiq; qui religionis cultum & sacrosanctum IESV nomen pro inuolucro ad eorum impietatem, blasphemiam, proditionem, & omnium scelerum colluuiem obtegendam adhibent, vt Deo fauente, ad

diuini

diuini numinis gloriam & religionis nostræ honorem mox elucebit. Curriculum industriæ huius societatis potissimum in vno & altero D D versatur, videlicet *Deponendo Reges*, *& Disponendo Regna*. Eorum professio & doctrina Religio est distinctionibus grauida, quarum pars maxima è nullo sacrarum literarum textu enata, & itaq; otiosæ, ieiunæ, & meræ Ideæ sunt, quę non habent sua *membra diuidentia* diuini verbi authoritate suffulta, & *vbi Lex non distinguit nec nos distinguere debemus*. Quamuis autem Reges sua diademata a Deo immediatè hæreditario iure successionis in sanguine regio inhærente teneant, hi tamen calamo anserino & pauculis distinctionibus se posse Christianorũ regum diademata ab eorum capitibus detrahere, & cum illis eodem modo agere se posse opinantur, quo prisci Romani cum suis beneficiarijs regulis quibus pro arbitrio regna adijcere & adimere soliti erant. Nec hoc tantùm, verùm etiam reges proscribent & suis ipsorum subditis laniandos exponent, contra ac ipsorum Canones præscribunt, qui Sacerdotes se in caussa sanguinis immiscere omninò vetant. Hinc autem regum conditionem cuiusque homuncionis deteriorem facerent. Inquit enim Symanacha: *Hæretici omnes ipso iure sunt excommunicati, & à communione fidelium diris proscriptionibus separati, & quotannis in cœna Domini excommunicantur à Papa*: ita vt illi hæretici apud illos pro excommunicatis & diris deuoti habeantur, si non de *facto*, tamen de *iure*, & igitur proscribendi, abdicandi, & è medio tollendi: at fac illum non esse Hæreticum professum, sed animi sensa sibi occultare, quo loco ille tunc habendus? Symanacha respondet: *Quæri autem solet an Hæreticus*

De Excommunicatione tit. 27. sect. 1. fol. 116. b.

 occultus

occultus excommunicatus sit ipso Iure, & in alias etiam pœnas incidat contra Hæreticos statutas? Cui quæstioni simpliciter Iurisperiti respondent, quod etsi hæresis occulta sit, nihilominus occultus Hæreticus incidit in illas pœnas. Siue ille sit manifestus siue occultus hereticus, nihil planè inter est, in vtrumq; enim censuris & diris itidem in illos effulminant. Quod Christus dicit *nolite iudicare*, quod est, inquit Augustinus, *nolite iudicare de occultis.* At esto quòd Princeps ita excõmunicationis vinculo innodatus & abdicatus in sinum Ecclesiæ redibit, iterumne Regnum recuperabit? minime gentium. Vt habet enim Symanacha, *Si Reges aut alij Principes Christiani facti sunt Hæretici, protinus subiecti & vasalli ab eorum dominio liberantur, nec Ius hoc recuperabunt quamuis postea reconcilientur Ecclesiæ.* Sancta tamen Mater Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti. Hoc verum agnoscunt, sed adhibita distinctione *quoad Animam, verùm quoad Regnum* hoc non recuperabit, quia coniunctis sententijs hoc omnes tenent *modò non sit ad damnum Ecclesiæ.* Concedatur autem eiusmodi abdicatum Principem relinquere filium legitimum & certum hæredem, quique paterni criminis labe non inquinatur; illene in Regia dignitate succedet? neutiquam. Pessundetur, Hæresis enim est lepra & morbus hæreditarius, & *ex leprosis parentibus leprosi generãtur filij*, ita asserit Symanacha, *propter hæresim Regis, non solum Rex regno priuatur, sed & eius filij à Regni successione pelluntur vt noster Lupus* (vir secundum nomen eius & natura & nomine Lupus) *luculenter probat.* Si quis subdubitet quem illum hæreticum esse intelligunt, *Creswellus* in libro cui *Philopater* titulum fecit, planè docet. *Regnandi ius amittit*, inquit ille, *qui religionem*

De occultis tit. 42. sect. 2. fol. 193.

gionem Romanam deserit. Ille diris deuouetur, abdicatur, proscribitur, nunquam nisi ab ipso Papa absoluendus, nunquam ille, nec illius posteri, in regnum restituendi.

Ex vno *Philopatris* loco quæ & cuiusmodi sunt Iesuitarum doctrina, & furores degustetis. *Hinc etiam infert vniuersa Theologorum ac Iurisconsultorum Ecclesiasticorum schola (& est certum & de fide) quemcunque Principem Christianum, si à religione Catholica manifestò deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere statim omni potestate ac dignitate, ex ipsa vi Iuris tum humani, tum diuini, hocque ante dictam sententiam supremi pastoris ac Iudicis contra ipsum prolatam, & subditos quoscunque liberos esse ab omni Iuramenti obligatione, quod de obedientia tanquam Principi legitimo præstitissent: posseque & debere (si vires habeant) istiusmodi hominem tanquam Apostatam, hæreticum, ac Christi Domini desertorem, & reipub. suæ inimicum hostemque ex hominum Christianorum dominatu eijcere, ne alios inficiat, vel suo exemplo aut Imperio à fide auertat. Atq; hæc certa, definita, & indubitata virorum doctissimorum sententia.* Sect. 2. p. 109 *Treshamus* in libro *de officio Principis Christiani*, reliquos longo interuallo post se relinquit, manifestò enim concludit, & definit. Si quis Rex hæreticum fauore prosequatur ipso facto regnum amittit. In Capite quinto hoc proponit; An aliqua possit secundum conscientiam subditis esse ratio cur legitimo suo Regi *bellum sine scelere moueant*. Respondent. *Si Princeps hæreticus sit & obstinatè ac pertinaciter intolerabilis, summi Pastoris diuina potestate deponatur, & aliud caput constituatur, cui subditi se iungant, & legitimo ordine & authoritate tyrannidem amoueant. Princeps in-*

dulgendo

dulgendo hæreticos non solùm Deum offendit, sed perdit & Regnum & gentem. Conclusio igitur hinc conficitur, quod ob Hæresin Princeps abdicetur & regnum alteri pro Papæ arbitrio deferatur, subditique sub damnationis pœna illi adhæreant quem Papa præficiet. Dum itaque sibi ablandiuntur alis leuicularum distinctionum se posse nubes, & captum vulgarium hominum superare, in absurditatum, blasphemiæ, & impietatis abyssum desperatè præcipitantur. Proculdubio Iesuitæ in hac proditione adeo erant inuoluti vt ex illis nonnulli dixerint actum de illis esse & vniuersa societate Iesuitica si res minus succederet, faxit Deus vt in hoc veridici sint prophetæ, vt illis perinde ac Templarijs accidat, qui ita nominati quod Hierosylimis circa Christi sepulchrum iuxta templum agitarunt, vno edicto ad vnum per Orbem Christianum vno die fuere deleti, quasi ipsorum ordo esset impietatis professio. *Ab omni seditione, & conspiratione, à falsis & hæreticis dogmatibus à duritia cordis & contemptu verbi & mandati tui, libera nos Domine.* Protestantur & speciosè præ se ferunt nihil aliud se moliri quàm vt animas Deo lucrentur; eorum argumenta sunt infirma, & nullius momenti, conclusiones falsæ, execrandæ, & Hereses damnatæ. Quorum prima protestatio Deum præ se fert, secunda humanam infirmitatem & fragilitatem, postremaque Diabolum ipsum sapit: & quo molimen ipsorum spectat, ex factis Beatissimi ipsorum patris Papæ Solis luce est clariùs.

Henricus Tertius Rex Galliarum quòd Cardinalem occidendum iusserat anathemati fuit expositus & postea à Iacobo Clemente Monacho occisus. Hoc facinus Sixtus Quintus qui tunc Papa sedebat, tantum

aberat

aberat vt improbaret, vt vnicè approbarit & prolixa oratione in Consistorio laudauerit. Quod monachus, inquit, religioni deuotus infelicem Galliarum Regem in medio exercitu interfecerit, *rarum, insigne, & memorabile est facinus.* Et subiungit facinus non sine Dei optimi maximi particulari prouidentia & dispositione, Spiritus Sancti suggestione designatum, facinusque longè maius quam illud Sanctæ Iudith quæ Holofernem è medio sustulit, verus monachus *fictum occiderat*, quia vt perhibetur, Henricus ille Tertius nonnunquam cum Litaniæ canerentur monachali habitu publicè procederet: Gallia autem ipsa, & in Gallia qui Pontificiam religionem amplectuntur vsurpatam illam Pontificiæ sedis authoritatem iam olim ad hunc vsque diem concoquere non poterant, scilicet, penes Pontificem esse Reges excommunicare, & subditos à fide data liberare. Quæ Thesis vniuersis Ecclesiæ Gallicanæ Canonibus, & Parlamentorum decretis ita ex diametro aduersatur, vt Collegium Sorbonicum & vniuersa Academia Parisiensis hoc vt dogma Schismaticum, pestiferum, & perniciosum Iesuitarum dogma damnauerint, vti in libello ad Regem Galliarum anno M DC II. cui titulus *Le Franc discours* videre est. Verùm vt ad Iesuitas pedem referam, *Catesbeius* à Iesuitis ad veritatem erat persuasus hoc factum & licitum esse & meritorium, quod & ille reliquis quibus aliquis inerat scrupulus, persuasit & confirmauit.

Thomas Bates Catesbeij famulus vt à domino suo in hoc scelus sensim erat deductus, ita cum subdubitauerit an fas erat suscipere, ex Iesuitarum doctrina certò erat persuasus. Res ita se habuit, *Catesbeius* cum perspexisset famulum eius curiosiùs obseruare, & quasi in

suspitionem vocare quid *Catesbeius* ille moliretur, in ædes suas apud *Puddle-wharfe* accersit, & *Thoma Wintero* adstante interrogauit quidnam ille suspicaretur de eorum conatibus, cum iampridem tanta cum suspicione tam accuratè illos obseruaret. *Bates* respondit se suspicari illos aliquid magnum & periculi plenum, quicquid illud erat, machinari. Hinc iterum percunctati quodnam esse opinaretur, respondit se opinari eos aliquid periculosum de ædibus Parlamentarijs moliri, quia ad domum in proximo conducendam ab illis missus erat. Tunc *Batesium* ad iusiurandum adegerunt vt rem celaret, cùm iurasset rem illi communicarunt, ipsos vtique vim magnam pulueris fulminalis sub Parlamentarijs ædibus ad eas sufflandas velle supponere. Significârunt etiam Eucharistiam ad maiorem cautionem & rei ocultationem ipsi sumendam esse. Hinc *Tesmundum* Iesuitam vt peccata confiteretur accessit, & inter confitendum significat rem admodum periculosam & maximi momenti quam *Catesbeius* & *Thomas Winterus* illi communicauerant, occultandam esse, seq; vehementer subuereri an licitum esset, & itaque Iesuitam consuluit, remque totam aperuit de Parlamentarijs ædibus exsufflandis eo die quo Rex, Regina, Princeps, Præsules & Proceres, Iudices, Equites Aurati, Ciues & Burgenses ibi conuenirent, Iesuita autem qui ex coniuratis iam antea erat, persuasit licere, & animum ad facinus firmauit, iussitque vt quod Dominus eius ipsi significauerat, quam maximè occultaret, quia bono futurum erat. Adiunxit præterea in occultatione nec periculum nec peccatum subesse. Iamque Iesuita ipsum absoluit, & *Bates* vnà cum Domino suo *Roberto Catesbeio*, & *Tho-*

ma

ma Wintero Euchariſtiam ſumpſit. *Roockwoodus* præterea fide ad rem occultandam iureiurando præſtita, cùm audiuiſſet à *Catesbeio* machinationem illam ad Regem & regnum extinguendum ſpectare, attonitus & ſtupore percuſſus, dixit ſalua conſcientia tantum ſanguinis effundi non poſſe: *Catesbeius* reſpondit, ſibi ad veritatem eſſe perſuaſum, idque ſolida authoritate (vtique à Ieſuitarum Superiore) ſine aliqua conſcientiæ offenſa fieri poſſe, etiam cum multorum innocentum pernicie, potius quàm machinatio ſucceſſum non ſortiretur. Itidem *Hamondus* Ieſuita proditores omnes in ædibus *Roberti Winteri* abſoluit die Iouis proximè poſt proditionem detectam, cùm iam Rebelles arma induiſſent, *Hos ô Rex magne caueto*; Regeſque omnes caueant, ne huiuſmodi conſceleratis faueant, foueant, aut conniueant.

2 Conſideratio ſecunda ad eos ſpectat, contra quos hæc proditoria machinatio fuit ſuſcepta, ſcilicet, 1. contra Regem, qui *Dei Chriſtus*, imò cui Deo viſum eſt ſuum ipſius nomen impertire. *Dixi, Dij eſtis*, non *eſſentialiter*, ita nec *vſurpatiuè*, perinde ac Diabolus & Papa; ſed *poteſtatiuè*, vtique cuius poteſtas in ſuis Regnis à Deo deducta. 2. Contra Dominum ſuum ſereniſſimum & legitimum cuius ius ad Angliæ Diadema ante Normannorum aduentum repetatur, & ſi Rex non eſſet iure hæreditario, eximijs rariſq; tum animi tum corporis dotibus Regno eſt digniſſimus. Sinceram religionem, ſolidam pietatem, iuſtitiam, eruditionem, ſupra omnes orbis Chriſtiani Principes, acumen, iudicium, memoriam intueamur, & verè dicamus

Solus præteritis maior meliorq; futuris.

Verumenimuerò cum quæ velim eloqui non possim, quæ possim eloqui nolo. 2. Contra Reginam etiam Principem gratiosissimam, spectatissimam, omniumque virtutis præsidijs munitissimam, vitem nostram fœcundam & fœlicem, quæ eiusmodi *oliuæ nouellas* produxit, *vt in benedictione sit memoria eius.* 3. Contra Regiam sobolem masculam quæ (Deo & Rege excepto) regni nostri vnica est spes, solatium, deliciæ, vita, & anima. Quod verò Dominam *Elizabetham* Regis filiolam conseruare voluerint, hoc tantum subdolè pro temporis ratione in rem ipsorum voluerunt. Cum autem sui essent voti compotes Deus solus nouit quid de illa acturi essent. 4. Vt semel dicam contra omnes honoratissimos & prudentissimos Regis Consiliarios, contra omnes fidelissimos & dignissimos Proceres, contra omnes reuerendos & eruditos Præsules, contra omnes grauissimos Iudices & Iuris consultissimos, contra præcipuos Equestris dignitatis, Generosos, Ciues & Burgenses Parlamentarios, florem scilicet vniuersi Regni lectissimum. *Horret animus* meminisse cladem luctuosissimam, cum nullus esset Rex, nulla Regina, Princeps nullus, proles mascula nulla, Regni Consiliarij nulli, Proceres nulli, nulli Episcopi, nulli Iudices. O barbaram & plusquam Thraciam immanitatem! Nullum Sanctitatis integumentum obuelare, nullus Religionis obtentus excusare, nullus quæsitus animi honesti color obumbrare potest, Superi condemnant, homines execrantur, ipsi proditores pudore confunduntur, scelerati insectantur, & omnium fidelium Christianorum animæ tantam sceleris immanitatem intimis sensibus omninò auersantur. Miserandum & improuisum eorum fuisset

fatum

fatum qui sulphurea & fulminali tempestate perijssent, at illi magis miserandi qui superfuissent. Quàm horrendos effectus tanta vis pulueris fulminalis & eiusmodi apparatus non solum inter homines sed etiam in ædificia & templa adiuncta produxisset, vos qui rei bellicæ gnari optimè nostis: mihi autem *vox faucibus hæret*, & Rex noster cum regio Propheta dicat, *Deus, iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsierunt animam meam & non proposuerunt te in conspectu suo.* Psal. 86. 14. *Qui cogitarunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* Psal. 141. 11. *Custodi me Domine de manu peccatoris & ab hominibus iniquis eripe me.* Psal. 124. 1. Et nos dicamus. *Nisi Dominus fuisset in nobis cùm exurgerent homines in nos, fortè deglutissent nos, cùm irascerentur: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Tertia consideratio tempus quo hæc proditio cæpta est respicit. An. primo Iacobi fuisse animaduertendum est, illo ipso in tempore, in quo Rex tantam clementiam erga Recusantes exercuit, vt per integrum annum, quatuorq; menses mulctam legibus inflictam ab illis nullam exigeret. Tantum etiam a seueritate Regia maiestas abfuit, vt præter indultam illam gratiam, omnes dignitate pariter & honore promouerit; atque ita se res habuerunt vsque ad sacrificulorum *Clerici* & *Watsoni* coniurationem. Quemadmodum verò *misericordia est puniens* ita & *crudelitas est parcens.* Non enim hoc pacto reuocati ad sanitatem fuerunt, sed (vt manifestò apparet) deteriores euasere. Romanè

Catholici in illo ipso tempore certiores suos fecerunt verisimile esse Regem inclementiùs, atque asperiùs cum illis acturũ, & id ipsum proditores isti iam, vt præcipuam causam simulant, cum reipsa insidias Regi struxissent, antequam ipsum in Anglia vel conspexissent. Nec quicquam dein, summa licèt erga illos lenitate vsus est, a nefandis ausis & conatibus destiterunt. Quodque proximè in istac illorum accusatione memorandum occurrit, Comitiorum tempus ad horrendam illorum proditionem exequendam elegerunt, cum (Angliæ flore ad Dei gloriam, & Ecclesiæ atque Reipub. emolumentum in vnum congregato) vniuersum statum vno quasi ictu, non vulnerare, sed enecare, & funditùs euertere possent. Adeo istis *impunitas continuum affectum peccandi tribuit*; lenitas etiam impunitatis spem semel enixa, non solum insolentiam, sed peccandi licentiam produxit, & pœnitentiæ quasi callum obduxit.

Quartò ipsum locum viz. Sacrum senatum conciliumque considerare debemus: cur autem eo potissimum in loco? clamitant scilicet iniquas ibidem leges contra Catholicos latas fuisse. Illum igitur locum ad vindictam iustitiamque exercendam omnium aptissimum. Quo iure verò rem prosequi cogitarunt? fulminalis pulueris iure, Erebi iudicibus dignissimo. Leges autẽ, quas iniquas esse calumniantur, illas omnium fuisse moderatissimas & æquissimas dilucidè paucisque expediam. Omnes Papistæ a primo *Elizabethæ* ad vndecimum a nnum minimè hac in re scrupulosi Ecclesias & preces adierunt. Ipse & *Cornwallisium* & *Bedingfieldium*, & alios in Ecclesijs vidi, adeo vt per decennium sine conscientiæ stimulis nobiscum in precibus se coniunxerint.

coniunxerint. Cum verò fulmen illud Pij Quinti missum erat, & Bulla eius diuulgata, in qua Regina execrata regalique solio detrusa, eiusque subditi ab obsequio & iuramento absoluti, imo diris deuoti, si morem illi gererent; templa tum protinùs omnes reliquerunt, & nobiscum in rebus diuinis communicare abnuerunt. Non est religionis gratia quod templum adire recusant, sed vt summam Papæ potentiam agnoscant. Et vt iudicium suum de iure principis quoad Regalem potentiam, & Primatum apertiùs declarent. Secundo post anno viz. anno 13. *Eliz.* lex contra Bullarum inductionem sancita est. Anno 18. *Maynius* venit, ad seditionem commouendam, anno etiam 20. *Campian* primus Iesuita, ad partes hîc in Anglia foendas, in prioris Bullæ executionem missus est. Libelli proditionibus referti postea conscribuntur. Anno 22. *Eliza.* post tot annorum tolerationem, leges contra Recusantes, & seditiosos libellos institutæ fuere, pœna verò & mulcta illis imposita qui publicis precibus adesse recusarent, non fuit vitæ, aut membri, aut totiùs status iactura, verum pecuniaria tantum mulcta, pœnaque eo vsque inflicta, donec se ipsos submitterent & reformarent, templa, vt prius per decennium ante Bullam, frequentarent. Postea tamen Iesuitarum & Romanorum sacrificulorum turba huc confluxit, qui venenum hoc in subditorum pectora infundentes quod virtute prioris Bullæ Pij Quinti, Regina excommunicata & regno priuata esset, subditi ab omni illi debita obedientia liberati, summopere conantes illos ab officio & obsequio abducere; Romanæque Ecclesiæ reconciliare. Anno 27. *Eliz.* lex lata est, quòd si quis Anglus natus Reginæ subditus, & posteà factus Romanus sacrificu-

lus,

lus, in regna & imperia eius veniret, & fidelium quenquam subditorum perfidiosis impijsq; consilijs inficeret, læsæ Maiestatis crimine teneretur : ita tamen lex constituta est, vt ad illos tantum pertineret, qui post Reginæ coronationem, sacrificulorum ordini initiati essent. Obseruandum autem est in executione harum legum, quod cùm in quinquennio Mariano, homines plùs minùs 300. religionis caussa crudelissimo supplicio affecti fuerunt, in omni tamen *Eliz.* tempore per spatium 44. aut plus eo annorum vix 30. sacrificuli pro coniurationibus & proditionibus mortem subierunt & quinque tantum qui illos hospitio excepissent; pro religione verò planè nullus. Hîc obiter ab illis qui sunt a concilio Parlamentario summopere peto, vt animaduertant, (hoc enim dubium vocatur) vtrum lex pro Recusantibus & Reconciliatis, valeat etiam in Hibernia & partibus transmarinis, hoc est, vtrum illi qui illis in locis reconciliati sunt, pœnę Statuti sint obnoxij? vt clarius hoc elucescat, & facilius huic rei consulere possint.

Sed ad rem propositam. Contra vsurpatam Romanæ sedis authoritatem & potentiam XIII. plùs minùs statuta, & Senatus consulta ante hæc tempora in Parlamento confirmata habemus. Regnum enim & Rex Angliæ nullo modo extraneæ alicui potestati subijciuntur, sed immediatè Deo subiacent. Papæ fateor XXXIII. vsq; ad Syluestrem celebres fuerunt Martyres, at *quicunque desiderat Primatum in terris, inueniet confusionem in cælis*.

Quinta consideratio est de coniurationis fine, qui fuit vt vniuersum Reipublicę statum funditùs subuerterent. Etsi pietatis enim & religionis vmbram, speciemque

emque illorum impietas præ se ferre videbatur, innouationes tamen & reipublicæ confusio scopus fuit, ad quem collimabant, quod inde constat, quia cum Romanè Catholicis, & homunçionibus maleuolis societatem inibant.

Sextò, progrediendi rationem in hoc scelere & instrumenta intueamur, ecce verò cuniculos agunt, ecce XXXVI. cados pulueris sulphurei siue fulminalis, vectes etiam ferreos, lapides & ligna cadis superimposita, ad maiorem perniciem & vastitatem. Deus bone, quantus turbo, qualis ignis, quæ concussio aeris terræque illic fuisset! Sicut in libro Regum, cùm Elias in spelunca fuit montis Horeb, & coram Domino vocatus est, ecce vehemens ventus montes dilacerauit, & rupes dirupit, *sed non in vento Dominus*, post ventum verò, terræ & aeris commotio venit, *sed non in commotione Deus*, post commotionem verò ignis, *& non in igne Deus*. Ita nec Dominus vlli horrendi & inauditi huius facinoris parti interfuit. Cuius certè autores Diuite illo damnato peiores esse sese prodidere, qui (vt est in sacro Euangelio) ne alij in locum tormentorum descenderent, orabat.

Septimò, De secreta proditionis machinatione executioneque quærendum, ad quam assequendam quatuor potissimùm rationibus vsi sunt. Primùm *Catesbeius* Marchioni Spinolæ vt equitum turmæ in Belgio præesset, commendatus est (quem locum iam Baro *Arundel* possidet) vt hoc suo prætextu sine suspicione coniurationem hanc equis instrueret. 2. Iusiurandum quod omnes sanctissimè viritim, tam pro taciturnitate, quàm perseuerantia & constantia in proditione præstanda iurauerunt.

Iuramenti formula hæc erat.

Iurabis per sacram trinitatem, perque quod iam sumpturus es Sacramentum, nunquam directè vel indirectè, verbis aut circumstantijs istam rem reuelare, quæ tua iam commendanda fidei, neque ab executioue huius desistere donec reliqui tibi veniam concedant.

Iuramentum hoc *Catesbeio*, *Percio*, *Christophero Wrighto*, & *Thomæ Wintero* vno eodemque tempore per *Gerrardum* Iesuitam, alioque tempore *Batesio* & reliquis per *Greenwellum* Iesuitam exhibitum est.

3. Sacramentum quod illi impiè & diabolicè ad flagitia sua perpetranda prophanarunt.

Quartò & postremò illorũ perfidia & in Æquiuocãdo periurium, à Iesuitis tamen omnium malorum patronis probatum & confirmatum, non tãtùm simpliciter manifestam veritatem celare, aut denegare, sed piè & religiosè asserere, perq; salutem æternam protestari, imò liquidò iurare, in illa quæ certissimè cognoscunt falsissima esse; retinendo tantùm proprium quendam & reconditum animo sensum, quo à patribus suis persuasi sunt, se tutè & iustè quæstionem quamuis propositam eludere posse.

Hîc liber exhibitus est non diu ante obitum Reginę editus, quando *Tho. Winterus* in Hispaniam missus est, ad hunc modum inscriptus, *Aequiuocationis tractatus*, qui a Garnetto Iesuitarum Superiore, & à *Blackwello* Angliæ Archiepresbytero & visus fuit & approbatus. In principio tamen *Garnettus* sua ipsius manus verba illa tituli, viz. *Aequiuocationis* deleuit, & sic mutauit, *Tractatus contra mendacia & falsas dissimulationes*, cum

cum re ipsa pro virili tueatur. *Spetiosaq; nomina culpæ Imponis Garnette tuæ.* In fine etiam *Blackwellus* illum huiusmodi benedictionis suæ rore aspersit: *Tractatus iste valde doctus & verè pius, & Catholicus est. Certè S. Scripturarum, Patrum, Doctorum, Scholasticorum, Canonistarum & optimarum rationum præsidijs plenissimè firmat æquitatem Aequiuocationis. Ideoque dignissimus est qui typis propagetur ad consolationem afflictorum Catholicorum & omnium piorum instructionem.*

Propositio in hoc libro, in *Mentalem*, *Verbalem*, *Scriptam* & *Mixtam* distinguitur, quæ certè distinctio quot cæcos Mæandros & Labyrinthos habeat, vt homines in errorem deducat, quis non videt? Exempli gratia, vt primoribus labijs stropharum & falsitatis regulam hanc degustetis.

Interrogatus aliquis & iureiurando obstrictus, vt ex animo verum dicat, talem vidisti ne hodie? hac arte instructus illud plane denegat, prudens licèt sciensque illum viderit: viz. hunc proprium sibi sensum reseruans; Non, vt Magistratui hoc dicerem, vel non *visione beatifica*, vel non Venetijs illum vidi. Similiter etiam affirmationem pro negatione alicui dare, retinendo tantùm, & mentaliter addendo particulam, & signum illud negationis Non: vt mirificè *Strangius* Iustitiario Primario mihique fecit. Exemplum verò vnum aut alterum vobis ex libro proponamus.

Ingruente vndique peste, quidam Couentriam venit; ad vrbis verò portas Magistratus illum conueniunt, eumque iureiurando obstrictum interrogant, an Londino profectus est, vbi pestem grassari audiunt: Iste vel pestem ibidem non esse, vel aerem non infici, seque per priuatam aliquam vrbis plateam, properè

 equitasse

equitasse pro certo habens : se Londino non venisse liquidò tutissimèque iurare potest. Principali enim & finali propositæ quæstionis scopo scilicet, an sic venit, vt ciuitatis pestem afferret, responsum dedit, licèt immediatus quæstionis sensus fuit, vtrùm Londino profectus est, an non, cognoscere. Istum (si libro fidem adhibeamus) ipsum naturæ lumen periurio liberet. Si quis in eundem modum in Episcopi consistorio in ius vocatus, quoniam coniugia *per verba de re præsenti* contracta dissolueret. Aliam enim sibi clam prius desponderat, adeò vt illam cum qua *per verba de præsenti* contraxisset, vxorem ducere non posset : huic licet affirmare se nunquam cum illa contraxisse *per verba de præsenti*, hoc est, non ita contracta esse coniugia vt legitimum esset matrimonium. Huc enim Iudicis quæstio spectauit, viz. cognoscere an legitimum fuit inter illos coniugium. Insignes certè illi Martyres, *Cranmerus*, *Latimerus*, *Ridleyus*, eiusmodi strophas nunquam cognouerunt, neque talibus, ad vitam seruandam, vti voluerunt. Ab hisce quisque sibi caueat maximè, cùm nullo fidei vel religionis vinculo teneantur, nec in illis humanitatis, conscientiæ, vel veritatis minima scintillula appareat. Catastrophen igitur cum Regio Propheta addam : *Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa.*

Literæ S. P. Q. R. legebantur olim pro *Senatus, Populusque Romanus*, iam verò verissimè possint exprimere. *Stultus Populus Quærit Romam.* Perappositè etiam & iucundissimè hic interpositus Apologus, Mures a feli diutius spoliati & in prædam capti, pusilla hæc animalia, saluti tandem melius consuluerunt, & in foraminibus se continuerunt. Felis v. amissa diutius præda,

quoniam bene notus erat muribus, vt infestus eorum hostis, hanc tandem tæchnam excogitauit, viz. habitum mutat, cucullum induit, & raso capite, suspenso gradu ante foramina obambulat: cùm mures etiam aliquantum formidolosos perspiceret, ac si mali quid suspicarentur, illos religioso gestu sic alloquutus est: *Quod fueram non sum, frater caput aspice tonsum*; hisce rationibus audaces aliquot & creduli mures persuasi fallacijs eius illaqueati sunt; cùm autem felis rursus suis dolis illos alliceret, vt exirent, hoc responsum tulit, *Cor tibi restat idem, vix tibi præsto fidem.* Non vt ores sed vt vores vigilas. Perinde faciunt etiam & Iesuitæ, imò & sacrificuli caudis veluti *Sampsonis* vulpeculæ connectuntur, *Ephraim* contra *Manassen*, *Manasses* contra *Ephraim*, vterque verò contra *Iuda*.

8 Vltima consideratio est de miranda huius proditionis detectione ab vno eiusdem factionis (qui inuitus, vt dictum est priùs, & iuramentum & Sacramentum accepit) per subobscuras literas ad Dominum de *Monte-Aquilæ* datas, vnde primò Regi suboluit hæc horrenda proditio. Hactenus de Considerationibus, restant Obseruationes nonnullæ in hac sulphurei pulueris proditione animaduertendę, quas breuiter attexam.

1 Nisi Crypta conducta fuisset, cuniculus vix aut ne vix inuentus fuisset: cuniculum enim nemo suspicari poterat, priusquam res peracta fuisset, & Primarij proditores apprehensi, rem ipsam inter examinandum declarassent.

2 Quomodo regia mens diuinitùs ab omnipotente Deo solo Principum rectore irradiata fuit, quasi angelus Dei locum ipsum indicaret, vt in illo loco in-

quirerent, idq; ex obſcuris illis & ambiguis literarum verbis, *Ictu terribili.*

3 Mirum quoddam prodigium notandum eſt, quod in *Stephani Littletoni* ædibus apud *Holbech* in Comitatu Staffordiæ poſtridie poſtquam arma ſumpſiſſent & immediatè ante proditorum apprehenſionem, accidit. Nonnulli enim ad ignem ſtantes, vt Dupondium fulminalis ſiue pyrij pulueris in lance exiccarent, linteum ſacculum XV. vel XVI. libras pulueris continentem lanci ſuppoſuerunt: cùmque ligna foco inijcerentur, ita euenit vt carbo lanci incidens, puluerem incenderit, quo *Catesbeius*, *Grauntus*, & *Roockwoodus* aduſti ſunt. Linteus autem ſacculus lanci ſuppoſitus vnà cum faſtigio domus flammis ipſius in area inaccenſus decidit; qui ſi ſemel ignes in domo concepiſſet, illos omnes protinùs è medio ſuſtuliſſet, ita vt nunquam ad examen hoc veniſſent. An

Lex æquior vlla eſt,

Quàm necis artifices arte perire ſua?

4 Animaduertendum fulmineum hunc puluerem fraterculi Romani fuiſſe inuentum, vt Ars Typographica viri militaris.

5 Notandum eſt *Bainhamum* cohortis diabolicæ vexilliferum, vt vulgo habitus, ad Papam eodem tempore miſſum eſſe, vt certiorem illum de proditione faceret, eumque hac de re conſuleret.

6 Etſi arma rebelles capere, falſoſque rumores vndique diſſeminare conati ſunt, omnes nempe Catholicos fore iugulandos: ita fœlix tamen Regis eſt gubernatio tamque fida ſubditorum pectora, vt nemo præter coniuratos partes illorum tueretur, aut pro ſeditioſis dimicaret.

7

7 Notandum Vicecomitem ordinarium Iustitiæ ministrum officio suo fungentem, copijs publica lege statim conscriptis illorum furorem compressisse.

8 Quod Deus scelus intentatum tam prope ad effectum peruenire permisit, vt non nisi paucis horulis antequam peragendum esset, reuelaretur.

9 Solem tum, cùm cuniculos agerent, *Capricorni* Tropicum intrantem, illos per cuniculos descensuros, & per patibulum ascensuros præmonstrasse.

10. Nullum vnquam Protestantem Ministrum vllius coniurationis, aut cædis hoc in regno intentatæ reum fuisse peractum.

Tandem ad extremas huius sermonis quas initio mihi præscripsi lineas deuenio. Conferenda sunt igitur inter se duo perduellionis sine exemplo exempla, superiora illa *Ralai* & sacrificulorum *Watsoni*, *Clericiq;*, cum hac sulphurea coniuratione Iesuitarum. 1. Finis idem impellebat, causa nempe Catholica. 2. Instrumenta eadem, per homines maleuolos, Papæq; deuotos, per *Laceios* & sacrificulos. 3. Eadem fortunæ alea omnibus iacta est, sed non eadem expectatione, sperabant sacrificuli, nonnulla quidem, sed non optima se posse consequi, *Raleus* optima quædam, sed non omnia: at hi optima, omniumque optima, quibus florentissima hac Respub. Rex ipse, totaque Regis prosapia cum supremo regni excidio in prædam cessissent. 4. Eodem omnes sacramento tenebantur, ijsdemque votis sese deuouebant. 5. Eadem post perpetratam stragem edicta de malis quibusdam corrigendis procuderentur. 6. Similis ad occupandam insulam classis accersita quæ ad portum *Milfordium* vel littora Cantij exscensionem faceret. 7. Eadem aureorum stipendia

dia promissa. 8, Eadē temporis opportunitas à coniuratis obseruata, nimirum ad aduentum Constabularij Hispaniæ, quum *Raleius* dixit, nihil Martis aut ferri nos ab illis vereri posse, qui olearum ramos secum ferebāt, classemque facilè sub eo velo in sinu *Groyne* latere posse, quasi cum citeriori Belgia res illa gerenda esset; seq; plures qui temerè dicta, quàm fortiter facta luerunt, cognouisse. In Hispania verò in omnium ore increbuit *Don Raleigh*, & *Don Cobham*, Anglorum Regem ensibus suis iugulaturos. Non eò hæc a me dicta sunt, quasi Iesuitarum incendium *Raleio*, aut *Raleiana* conspiratio Iesuitis nota esset, sed vt intelligamus (quod iam antehac de societate Iesuitica, sacerdotioque Romano memoraui) eos in propositis sibi consilijs conspirasse omnes, quasi illas a *Sampsone* caudis connexas vulpeculas, vtcunque capita sua, consiliaque nunquam consociauerint.

Conclusio erit ab admiranda illa Regis clementia & plane diuina humanitate: quamuis proditores enim hi deploratissimi omnes superioris æui suis flagitijs longè superauerint, & iure quidem *crescente malitia crescere debuerit & pæna*; Rex tamen mitissimus, aut aliud ijs supplicium præter vsitatum destinare, aut noua aliqua & exquisitiora tormenta excogitate noluit, sed æquitate singulari, non modo se iure omnes defendere, sed vulgare tantum supplicium tanto facinori haud æquiparandum, quod lex ipsa iubet, illis infligi voluit. Et sane dignissima est nostra animaduersione legum animaduersio in crimen læsæ Maiestatis. Postquam enim in iudicium res vocata est, & proditor reus peractus, damnatusque est, præcipit lex primò, e vinculis ad constitutum supplicij locum eum rapi in traha, vt

qui

qui Regem, per quem omnes viuunt, tollere voluerat, ipsius terrę contactu indignus esset, ex qua viuunt omnia & nascuntur. Deinde vt qui Rempublicam euertere, & naturæ ordinem violare conatus, ipse quasi inuersus traheretur. Cumque à Deo caput in excelsiori loco tanquam reliqui corporis princeps in cœlum erectum sit, *pronaque cùm spectant animalia cætera terram, os homini sublime dedit*, lege prouisum est vt reclinato in humum capite tanquam qui cœlo vel aere frueretur indignus traheretur, postea strangularetur, pensilisque inter cœlum & terram fieret, vt nec aere communi omnium pabulo vesceretur, nec qui cœlo dignus, aut terra dignandus, atque vt omnes eum oculis intuerentur, animo auersarentur. Tum de patibulo viuus adhuc membrisque integris demittendus, ipsoque vidente genitalia excinderentur, vt qui indignè prognatus, prolem post se parenti similem relinquere indignus esset : ad hæc euellerentur palam & in flammam conijcerentur viscera illa quæ tantum nefas aut excogitare aut recondere ausa sunt, capite denique truncaretur, qui Rempublicam detruncaturus erat. Ad extremum securi corpus in quatuor partes dissecandum, quæ figendæ sunt in altiori aliquo & conspicuo loco, auibus depascendæ, hominibus execrandæ. Atque hæc præmia sunt quæ sibi suisque proditores referunt, quorum corda sæuissima pertinaciâ occalluerunt. Reipublicæ enim salus sæpenumero vel ab ipso corde corruptum sanguinem euacuari postulat. Verè tamen dicitur, *Pœnitentia vera nunquam sera, sed pœnitentia sera rarò vera.* Quam tamen concedat illis oro misericordiarum pater, vt si minùs tanti maleficij magnitudo, saltem conscientiæ anxietas ad veram piamq;

totius facinoris confessionem, tum propter animarum suarum, tum Regis Reique Publicæ salutem adigat, atque impellat. Qui verò ex eorum numero nondum deprehensi sunt, Deum comprecor, vt *aut conuertantur ne pereant, aut confundantur ne noceant.*

Post hæc, singulæ eorum examinationes, & ea quæ ab illis tum confessa erant, suisque nominibus *subscripta* iubente Regio Attornato iterum ostensa erant, atq; ab illis recognita & pro veris habita, in quibus vnusquisque proditionem confessus erat. Postulabat itaque Regius ille Attornatus, quamuis abundè satis esset iustitiæ, audire ipsos de se confitentes reos, quò tamen pleniùs auditoribus satisfieret, memoriaq; tantę proditionis audientium animis altiùs infigeretur, vt ipsorum Confessiones non vi expressæ, sed sponte ac voluntate factæ, alta distinctaque voce legerentur. Ex his inter reliqua constabat *Batesium* & a se satis paratum ad hanc subterraneam prouinciam suscipiendam, & a Iesuitis fuisse confirmatum. Illud quoque palam fuit Iesuitam *Hammondum*, postquam eos non modò deliberasse, sed de totius regni excidio statuisse resciuerit, post ipsam etiam proditionem detectam a peccato illos absoluisse. Atque hæc ab eo gesta die 7. Nouembris. Hic etiam ab Attornato Regio eorum mentio est facta, quę a Seminarijs *Watsono* & *Clerico* de Iesuitarum conspiratione tum incepta, nunc etiam percepta dicebantur. 1. Nihil aliud velle crebras & fere assiduas in Hispaniam missiones quàm exterorum copias in Angliam pertrahere.

2. Idem loqui pecuniarum vim magnam ab illis congestam ad domesticum militem conscribendum.

3. Iesuiticam turbam sæpe cum Catholicis egisse, ne

ne Principem vel cùm primò in regnum veniret, vel posteà constituto imperio pro suo Rege haberent, præsertim cum nulli hæretico Principi (talem enim Regem esse asseruere) obsequium vllum esse à Catholicis præstandum, atq; vt neminem nisi Catholicum sub poena excommunicationis pro Rege agnoscerent.

Postremò, omnia quæ ad bella necessaria, equos scilicet quam plurimos, sulphureum puluerem, reliquumque bellicum apparatum in amicorum ædibus habuisse; quos quiescere iubebant, & expectare, donec quid vltrà audendum esset, vel faciendum intelligerent.

Postquam singulorum Examinationes, Confessiones & Declarationes, tam sui ipsorum quam mortuorum aliquot coniuratorum publicè perlecta fuissent, omnes Iuratorum sententia læsæ Maiestatis rei sunt peracti. Tum rogati singuli quid pro se referre quisq; poterat, quo minus mortis sententia in illos non pronuntiaretur, nemo omnium nisi *Rookwoodus* erat, qui longioris orationis filo, aut facti defensionem aut excusationem vllam contexere voluit. *Thomas Winterus* vt pro se & fratre suo suspenderetur tantum deprecabatur. *Guido Fawkes* cur non se reum agnosceret, rogatus, cum nihil aliud potuit, id tantum respondebat, fuisse quædam in accusatione sua de colloquijs nonnullis quæ ille plane se nescire affirmabat. *Keius* fortunas suas eo in loco positas esse querebatur, vt nunc potius quàm alio tempore mors sibi in lucro deputanda esset, & maximè hac in causa. *Bates* veniam implorabat, similiter & *Robertus Winter*; *Ioannes Grant* diu continuit, tandem verò submissa voce, reum se proditionis intentatæ, at non peractæ professus est. *Ambrosius Rookwood* eò solum animo accusationem suam se

negasse affirmabat, vt vitam per alios potius amitteret quàm ipse proijceret. Iamque videre se Principis quidem, procerumque totiusque patriæ odium acerbissimum suo scelere meruisse: nec posse tamen, de Principis clementissimi & mitissimi clementia & misericordia penitus desperare, quamuis enim peccatum tantum esset vt excusari non posset, in eo tamen extenuari posse, quòd ipse nec Author nec Actor huius tragœdiæ esset, sed tantùm *Catesbeij* consilijs impulsus, quem supra mortales omnes amore complexus est, seq; hoc nec malitia erga Regis personam, aut Remp. nec ex priuata ambitione celasse, sed ex syncero, fido, ac intimo amoris affectu quo amicissimum *Catesbeium* coluit, quem ita charum sibi affirmauit, vt omnia præ illius amicitia posthabuerit. Hanc igitur commiserationem non mortis formidine exoptauit, sed animi dolore, quòd mors tam ignominiosa labem perpetuam, maculamque in omnia secula suo nomini ac familiæ inustura esset. Vtcunque tamen hoc primum delictum fuerit submisissimè semet Regis misericordię prostrauit, Regēq; hac in re Deum ęmulari efflagitauit, qui *corporaliter non mortaliter*, pœnam nonnunquam infligit.

Tum relatum est quod *Robertus Winter* die Veneris ante hanc accusationem, opportunitatē propter vicinitatem cubiculorum nactus, cum *Guidone Fawkes* in arce collocutus, hæc *Guidoni Fawkes* (ex ipsorum confessione) diceret, se & *Catesbeium* filiolos haberé, illos posse & adolescere, & vltores fore. Imò, quod Deus filios *Abrahæ* ex lapidibus suscitaret. Hoc quoq; se ægrè ferre neminem Apologiam Actionis quam susceperant, edidisse: attamen sese in extremo supplicio caussæ non defuturos.

Hoc

Hoc etiam in loco *Roberti Winteri* somnium ante pulueris sufflatum in *Littletoni* ædibus relatum est, quodque ille ipse confessus est, ac primus significauit, viz. Templorum pyramides incuruatas, inq; templis illis miros ignotosq; hominum vultus illi conspectos. Posteaque cùm fulminalis ignis accensus postridiè complures coniuratorum, *Grantique*, *Roockwoodi*, & aliorum facies deformasset, somnium sibi in mentem recurrit: quantumq; meminit facies sociorum suorum sic exustas, illos quos per somnium vidisset repręsentare. Atque hæc de priore accusatione.

His itaque gestis *Euerardus Digby* læsæ Maiestatis postulatus, scilicet non modò proditionem incendiariam ab eo cognitam & celatam fuisse, sacramentoq; duplici, quorum alterum illi silentium ne proderet, alterum ne proposito desisteret iniunxit, ipsum inter primos coniuratorum habitum fuisse, idque palam in rebellione ostendisse vbi comitem illis se prębuit. Quę cùm ab illo diligenter omnia audirentur, siue quòd hęc ab eo liberè priùs essent agnita, siue quòd eum scelerum cõscientia sauciaret, agnoscere dixit quæ maximè contra se faciebant, & oratione exspatiari cœpit. Reuocatus autem vt priùs se sontẽ vel insontem diceret, se sontem professus est, vnoq; verbo se damnauit, deinde in latiorem dicẽdi campum descendit, eiusq; oratio in duobus maximè versabatur, in *Impulsiuis* sz. siue *Motiuis*, & *Petitionibus*. Primùm quidem in hunc scopulum non tam aliqua ambitionis aura, aut fortunarum suarum minùs secundo flatu impulsum se fuisse aiebat, quàm nescio quibus affectuum fluctibus, qui eum tanto impetu in *Catesbeium* semper ferebant, vt eius caussa, & sui-ipsius, & suorum omnium naufragium pati nun-

quam recusaret. Deinde religionis caussam, non suam agi, non potuit autem ea iubente, opes, vitam, famam, nominis memoriam, prolem, omnes denique huius sæculi titulos, & splendores non negligere, vel etiam contemnere, imo penitùs res omnes, ipsamque spem abijcere, modò Catholica religio iterum in Angliam reduceretur, tum etiam addit fidem Catholicis datam non fuisse seruatam. Postremò veritum se fuisse ne asperiùs & inclementiùs his vltimis Comitijs Parlamentarijs quàm prioribus cum Catholicis Recusantibus ageretur, scilicet vt vxores ijsdem mulctis cum maritis suis subijcerentur: quinetiam vel Catholicum esse in *Præmunire* Catholicos præcipitaret.

Petebat autem vt vnde orta esset culpa, ibi pœna consisteret, vtq; ipse lueret, qui tãtum nocens esset, non innocẽtes, vxor, liberi, & sorores & alij. Pro vxore, vt ius dotale concederetur, pro filio, vt beneficio transcriptionis factæ priusquam hoc scelus cogitatum vel proditum, frueretur; pro sororibus quoque, dotes suas, quæ penes se erant; pro creditoribus, vt æs quod contraxerat, dissolueretur, eandemque ob caussam orabat, vt seruus eius (cui debita eius melius quam ipsi nota erant) ipsum accedere permitteretur. Tandem à Rege totoque Procerum choro vehementer contendebat, vt odium quod meritò concipere poterant, extinguerent, ac capite truncari efflagitabat. Denique singulos vt ignoscerent obtestabatur, vtq; supplicium crimen expiaret optabat.

Huic sermoni statim atq; breuiter pro temporis ratione (iam enim nox instabat) D. *Edwardus Cooke Regius Attornatus* respondebat. 1. Amicitiam quam cum *Catesbeio* contraxerat, amentis potiùs quàm amantis fuisse,

fuiſſe. 2. Religionem quam præ ſe tulit cæcam eſſe ſuperſtitionem, errorem, & hæreſim. 3. Nec Catholicis quos dicit fidem vllam fuiſſe datam aut dandã eſſe: quod ſi vxores à viris ſuis (bonis ſcilicet Proteſtantibus) ductas, ante nuptias Catholicas fuiſſe conſtaret, digniſſimos viros eſſe, qui ſtultitiæ ſuæ pretium perſoluerent, vt qui tanti emerunt. *Volenti enim & ſcienti non fit iniuria.* Quòd vxor quæ prius reformatam profeſſa religionem ſuperſtitioſa eſt facta, Romanis ſacrificulis & Papiſtis in domum receptis, ſeducta & abducta, æquum eſt vt maritus ille ſiue ſit Pontificius vel e Proteſtantibus, negligentiam ſuam hac in parte grauiùs lueret.

4. Quod ad petitiones pro vxore, filio, ſororibus, mirari ſe ſatis non potuiſſe vnde hæc tanta pietas tam ſubito pro domeſticis, ſuiſque rebus priuatis, & miſeratio ſingularis oborta eſſet: in cruenta autem cæde Regi, Reginæ, tenellis Principibus, Proceribus, patriæque intentata quonam illa abijſſet? Nihil de humanitate, nihil de pietate, nihil de rebus diuinis humaniſue vel per ſomnium ei in mentem antea veniſſe; atque hæc omnia ardore neſcio quo in re religionis, ſtudioque ſceleris tam atrocis eleuandi tunc fieri.

Euerardus Digby ad hæc Attornatum interpellauit, ſeque tantum abeſſe aiebat, vt factum probaret, vt exquiſitiſſimo potius ſupplicio ſe dignum cenſeret: ſe itaque iuſtitiam non tolli, ſed molliorem fieri voluiſſe. Cui Regius Attornatus reſpondebat: non fuiſſe expectandum, vt Rex illum qui in Regem tam ferus, honore in morte afficeret. Quid enim honorem aut humanitatem in morte expectaret, qui dum viueret vtramq; contemneret?

contemneret? quin vehementer potius laudandã fore mirandamque sibi videri Principis in scelere tam inaudito & singulari inauditam & singularem sine exemplo clementiam. Quis enim huic tam atroci crudelitati supplicium si non æquale, quod fieri nunquam poterat, at quantum poterat par aliquid saltem excogitaret? Vbi verò vxorem, liberos, posteros, sua denique omnia omnino perire pro causa Catholica tantopere exoptaret, nihil impedire quin optatum ferret, vt est in Psalmis: *Fiat vxor eius vidua, nutantes transferantur filij eius & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis. Fiant nati eius in interitum, generatione vna deleatur nomen eius.* Pro creditoribus æquum fuisse quod postulabat, se verò non mediocriter vereri, plus Regi, cui tantum mali parabat deberi, quàm omnia eius bona rependere potuissent; hæc tamen regis prudentiæ, Legibus, Iustitiæq; esse permittenda.

Iam Comes Northamptoniæ conuersus ad *Euerardum Digby*, in hæc fere verba locutus est.

Oratio

Oratio Comitis Northamptoniæ *Ex ipsius ore excepta.*



On est cur mireris *Euerarde Digby*, si ego hoc tempore pro officij, conscientiæ, & veritatis ratione quæ mihi incumbit, non permittam te sine contradictione in labyrintho vani tui ingenij liberiùs exspatiari, vt alios ex falsis fundamentis seducas, quemadmodum ipse seductus fueris, vel calumniandi fascino, errorum nebulis, aut Æquiuocationis nuper natæ versutijs, te ex angustijs illis euoluere, quibus res tuæ modò florentes sunt infœlicissimè inuolutæ, sed tamen iam furore præcipitis ingenij tui non immeritò oppressæ. Si in hoc crimine (quod atrociùs est quàm dicendo explicari possit) cuiuscunque conditionem deplorarem, tuam certè cum maxima commiseratione ingemiscerem: sed tu tibi hoc acceptum feras, & prauis illis consultoribus qui te in hoc scelus deduxerunt, quod non minùs omnes fideles & probos pro humanitatis ratione percellit, quàm in temetipso omnem humanitatis sensum hebetauit.

Quòd tu aliquando in gratia & laude apud Reginam Elizabetham fueris ego ipse testari possum, qui audiui ipsam de te honorificè loquentem; quod virum verè nobilem ad meliorem vitæ rationem ineundam incitare poterat. Imò hoc superaddam, fuisse aliquando tempus quo singularis fuit animi tui erga Regem nostrum propensio, fortasse ex falsis illis rumoribus, illum vobis & vastæ vestræ cupiditati in Religionis caussa satisfacturum. Verùm semen quod in arido cecidit (vt Seruator noster inquit) non altas radices egit, inflammatum illud studium quod nihil aliud sibi proponit, quàm vt sibi perplaceat, citò extinguitur: & Traianus dignissimus & prudentissimus ille Imperator haud iniuriâ se nihil illis debere dixit, qui magis præuaricatione peccauerant, quàm sua industria promereri poterant.

Benignitas illa gratiosa Regis nostri primis Regni auspicijs deferendo honorem quamplurimis vestræ Religionis cultoribus, & etiam (nisi me fallo) tibi ipsi, facilitas eius, cui *Tros Tyriusque* nullo discrimine in admittendo omnes qui ipsum iustis de causis accederent, integritas eius in aperiendo iustitiæ portas ex æquo singulis subditis, & multa alia eius merita quæ pace vigente subsequuta sunt, tam clarè sunt manifesta & omnibus perspicua qui communis sensus non expertes, vt tu ipse & multi alij nuper adacti fueritis vestram execrandam ingratitudinem excusare & obumbrare falsis & ementitis rumoribus Regem spem tolerandi Religionem, vel conniuendi priusquam sceptro Angliæ potitus erat, præbuisse, sed nihil planè præstitisse.

Non me fugit hunc seditiosum & falsum rumorem nonnullos tumultuoso ingenio excitâsse ad prejudicium rerum præsentium quibus aliàs sua securitate, vt anteà, frui integrum erat. Hic rumor instar cærei scuti contra gladium potestatis adhibitus erat, vt machina ad excessus occultandos donec Troianus Equus non bellicosis Græcis vt olim, sed infernali puluere oppletus, intra parietes Parlamentariæ Domus introduceretur. Quomodocunque autem Deus oculos tibi & alijs in hoc facinore vt Ægypti Regi & eius administris præstrinxit ad præpotentem eius gloriam magis illustrandam; quiuis tamen vel communi sensu præditus, facilè peruidere poterat Principem cuius iudicium tot annorum vsu vtroque cœli cardine defixum fuerat, non potuisse statim subsidere, nec iam inde sententiam mutare præ timore deflagrationis illius quam *Catesbeius* Archiproditor, vt alter Phaeton in omnibus simul elementis molitus erat. Maiestas eius bona fortunæ in negotijs minoris momenti quàm sit religio, cum animi sui libertate nunquam adæquauit. Non consultum sibi videbatur (pro Religione quam amplexus est, & semper amplectetur) plures Cacodæmones in circulum euocare, quàm deuocare poterat, nouit ille quod *Omne Regnum in se diuisum desolabitur.* Philosophia docet quicquid in animi recessu latet, quòd vbi alter *Cepham*, alter *Apollinem* publicè

publicè sectatur, dissensio aboriatur. *Quod insitum alieno solo est, in id quo alitur natura vertente degenerat,* & singuli hoc semper apprehendent, quod *Quorum est commune symbolum, facilimus est eorum transitus.*

Quod ad promissum de toleranda Catholicorum Religione, rumor disseminatus erat à duobus filijs *Belial, Watsono & Percio,* eo consilio vt seditionem contra Regem nostrum charissimum & Regnum conflarent. Scotiæ regnum in testem hîc adhibeatur pro longo sanè temporis interuallo priusquam Angliam adierat, an assentatio aut timor (ne ex incepto quidem decimo septimo die Nouembris quod cuiuscunque Principis in Europa patientiam exercuisset) vel ad minimam propensionem tolerandi religionem Regem pertrahere potuerit. Quod tamen quia in votis erat, pronis animis fidem inuenit. Omnibus exploratè cognitum est quanta ars fuerit adhibita, quàm versuta ingenia elaborarint, quot ministri subornati & corrupti multos annos & in Scotia & in externis regionibus, vt Regem blandis pollicitationibus auxiliorum ad consequendum ius eius in Angliam, exacuerent, quandocunque Sol occasurus vt splendidior in eodem Horizonte ad huius Insulæ & vniuersi orbis terrarum admirationem exoriretur. Sed hæc omnia incassum ceciderunt, oleum & opera omninò perijt. *iacta erat enim alea.* Rex suum indicem iam anteà constituerat & certo direxerat, atque illi qui hoc apud exteras gentes gnauiter inprimis agitarunt, plerique vt deploratæ spei ex Regis gratia exciderunt.

Cùm ex Anglia Regiæ Maiestati innotuisset aliquot annos priusquam Regina Elizabetha diem obierat, quòd multis de eius religione suspitio inijceretur ex rumoribus dispersis, quoniam nonnulli in exteris regionibus qui eius exspectationi fauere videbantur, audacius eius nomine vsi erant, & de eius in Catholicos propensione liberiùs loquerentur, quàm ipsius Regis conscientia & confirmata sententia agnosceret aut admitteret: vel vt Principum exterorum animos Regi conciliarent, aut suorum animos domi abalienarent. Ille non solùm has insinuationes ex cæco & inconsiderato

derato administrorum suorum studio profectas auersando damnauit, verùmetiam curam & cautionem in posterum adhibuit, quantum potuit diligentissimè, vt illis qui hac in parte peccauerunt sua gratia exclusis animi Anglorum hac de re minùs essent sollicitì, & vn iuerso orbi terrarum satisfaceret.

Nemo confidentius hac in causa loqui posit quam ego ipse, qui, Regina superstite, plures annos instructiones & admonitiones a Rege accepi, ne alia spes de futuro fauore Catholicis proponeretur, quàm quod ille serio cogitauerat, scilicet vt singulos subditos in vno Regno vno legum vinculo quoad religionem constabilitam constringeret, quomodocunque in ciuilibus rebus fauoris sui radios iustis de causis protendere poterat, nec se velle semina diffidentiæ à *Semi* & *Achitophele* sparsa aliquem scrupulum de eius constantia animis Protestantium inijcere, quibus vel sanguine fuso fidem illam confirmaturus erat quam cum lacte nutricis hauserat, à prima infantia edidicerat, & viribus quantum poterat maximis propugnauerat, ex quo legendo vel disputando rationem Religionis suæ reddere poterat quam nunc digererat & familiarem sibi fecerat. Qui librum de iure Regni Angliæ *Elizabetha* regnante scripserat, fusè explicat dum animum versat, quem exterum Principem Regno Angliæ inuestiret. *Elizabetha* defuncta, instar multorum testium esse posit, quàm tenuis spes Catholicis illuxerit vt Rex cum illis in toleranda religione vel conscientiæ libertate dispensaret. Hoc singulos inducat illorum spes omnino deploratissimas cùm ille & alij eiusdem generis adacti fuerunt portioni suæ renuntiare in filio & hærede illustrissimę & spectatissimæ Mariæ Reginæ Scotorum & Romanæ Ecclesiæ filiæ dilectæ, vt nonnulli in Dauide, qui clamitârunt *Nulla nobis pars in Dauid nec hæreditas in filio Iesei.* Hoc enim ex literis interceptis quæ in Scotiam datæ, & claris indicijs certò constat. Regia Maiestas quàm diu illud expectauit quod Deo auspice & authore hodie possidet, semper in Protestantium fide generatim tanquam in sacra anchora sibi firmamentum posuit.

Quamuis enim quamplurimos ex altera parte non minori fide & animi inclinatione in suam personam & ius hæreditarium quàm alios quoscunque propendere intelligeret, tàm quòd ex Regina eius matre dependerint, quàm quòd suauitatem morum ipsius degustauerint: attamen cum deprehendisset quanta ebullientis sanguinis efferuescentia multi superiori tempore abrepti fuissent, simulque obseruasset cuiusmodi censuris infidelitate & obsequio erga Principem se exposuissent, postremò cum præuidisset quorsum eorum protestatio decideret cum illis non satisfieret: subtimuit vlterius in illud fretum penetrare quam quousque suum ipsius iudicium tanquam index nauticus se dirigere & clauum tenere posset.

Si vel vnum viride folium in spem Catholicorum à *Catesbeio, Wintero, Garnetto, Fawkesio*, &c. conspici potuisset, nec cum exteris Principibus priusquam *Elizabetha* è viuis excessisset, ad certissimum ius hæreditarium interuertendum egissent; nec cum Regia eius Maiestas singulari omnium applausu exceptus fuerat hoc legationibus vltrò citroque missis & coniurationibus domi forisque moliti fuissent.

Verissimum esse ex confessionibus liquido constat, falsissimum illum Sacerdotem *Watsonum* & Archiproditorem *Percium* primos fuisse authores & diuulgatores iniquissimi huius rumoris ex quo tanquam solo maledicto in ipsorum bonum, coniurationis castra, vt existimatur, construerent.

Non alius est qui ad hanc rem certiùs & solidiùs, quam ego ipse loqui poterit, cum enim à Domino Rege ad *Watsonum* in carcere conclusum vt ipsum huius rumoris authorem arguerem missus essem, vno & altero die ante eius supplicium, & illum per animæ salutem vrgerem vt confiteretur directè sicut nouissimo die responderet, an cùm semel atque iterum Regem Edenburgi accederet, Rex aliquod promissum aut spem Catholicis fecisset de religione toleranda: *Watsonus* per animę salutem protestatus erat se nunquam vel tantillum spei in hac causa à Rege potuisse consequi, nec vlterius quàm quòd illos hoc scire voluerit, quòd vt peregrinus erat

in rebus Anglicis, ita quousque certò intelligeret quomodo se res haberent nullo modo fauorem promittere voluit. Verum protestatus est omnia vniuersi mundi Regna & diademata illum ne inducere posse vel tantillum professionis suæ quæ sibi pabulum animæ & æternæ hæreditatis arra erat immutare. Agnouit certè *Watsonus* vt Catholicorum animos in amore & obsequio erga Regem contineret, se Regis verba molliori accentu & mitiori loquendi formula impertijsse quàm ex veritate debuerat, quoniam nouerat alios perinde ac remiges in hanc partem spectare, & in alteram remos impellere. Vt Rex hanc simulatam Hypocrisim & alia grauiora læsæ Maiestatis crimina sibi condonaret humillimè petijt, & tam horrendi criminis sui quam falsi rumoris disseminati pœnitere visus est.

Quod verò *Percius* impœnitens quantum nos norimus, & tacitus in particularibus obierit, non impedit quo minus ille perditissimus in hac incendiariorum colluuie huius rumoris fuerit author. Quamuis enim minime nouum sit eiusmodi perduellem tam pernitiosam calumniam ex malignitate sua excogitare, qui omnes neruos vt Rex è medio tolleretur, & omnia obstacula contra fulmineam illam machinationem submouerentur, obnixè contendit. Quanto maius odium Regi apud Catholicos malè sanos conflaret & quanto asperius Catholicos illos ad vindictam suscitaret tanto spes eius erat excitatior cum scelus peractum esset, vt laudaretur & comprobaretur. Sed vt quod res sit verè dicam, multorum testimonijs confirmetur hunc perduellem *Percium* post primum & secundum è Scotia reditum nullam spei vel solatij scintillulam Catholicis retulisse, cuius non alio opus est argumento quàm quòd *Guido Fawkes* & alij transmisi erant in Hispaniam & exteras regiones ad renouandum interim facinus intermissum & occultatum post *Percij* reditum, quod vt verisimile est neutiquam factum fuisset, si ille cum Oliuæ fronde redijsset, aut aliquod signum bene sperandi sustulisset.

Itaque necessarium duxi huc vsque progredi ad eluendas illas maculas quæ a perditissimis illis scelerum machinatoribus

bus aſperſæ erant. Nunc ſupereſt vt apud Deum intercedam, vt verè in hac vita ad multorum ſatisfactionem pœniteas, & remiſsionem peccatorum in alterâ vitâ ad animæ ſalutem conſequaris, cum ex ſingulari Regis gratia tantum temporis ad vitæ rationem ſubducendam conceſſum fuerit priuſquam pro tribunali ſummi Iudicis ſiſtaris.

H. Northampton.

HAc oratione habita, Comes Saliſburienſis verba fecit ad illud quod *Euerardus Digby* vrgebat de promiſſo a Regia Maieſtate Recuſantibus facto, & violato, quaſi inde in ſocietatem tam horrendæ proditionis pertractus eſſet. Agnouit ille *Euerardum Digby* affinitate ſibi coniunctum, & religiosè proteſtatus ſe nihil niſi candidè & verè dicturum eſſe, Paucis autem & perſpicuè Regio honori in hoc patrocinatus eſt, & Regem ab omni aſperſione & ſcandalo deſultoriæ leuitatis in religione liberauit, vti etiam quod ne pertenuem ſpem, multò minùs promiſſum de Religione toleranda feciſſet. Et hanc ad rem, declarauit tantum abeſſe vt Rex eiuſmodi promiſſi vel ſpem faceret priuſquam hoc Regnum adeptus erat, & iam inde, vt ſemper profeſſus fuerit ſe vel ne audire hoc à quocunque æquo animo potuiſſe.

Poſtea explicauit quod factum erat ad Regiam Hamptonam cum de *Watſoni* proditione agebatur. Scilicet nonnullos è præcipuis Catholicis accerſitos fuiſſe, cumq; compertum eſſet illos proditioni *Watſoni* ſe non immiſcuiſſe cum laude demiſſos fuiſſe, ſimulque admonitos, vt Regi pro officij ratione obſecundarent, cum hoc pleno fauoris promiſſo, vt quicquid Regi

gi deberetur ex quo primùm Regnum aderit, nomine Recusationis, in causa religionis, Catholicis illis melioris notę demitteretur qui regi in primis Regni auspicijs fidem probauerant, & coniurationibus se minime intermiscuerant.

Deinde ad *Euerardum Digby* falsitatis conuincendum, dilucide probauit quicquid ille protestationibus adhibitis obfirmatè negauerat se minime conscium fuisse in machinatione pulueris fulminalis omnino falsum esse: idq; ex testimonio *Guidonis Fawkes* qui tunc præsens aderat, confessusque fuerat quòd nonnullis mensibus antequam Comitia Parlamentaria haberentur, cùm in ædibus *Digbei* ruri ageret, *Digbeium* arbitris remotis *Guidoni* illi significasse se subuereri ne ex nimio cœli humore (pluuia enim assidua iam terra permaduerat) puluis fulminalis in crypta humesceret, & ad ignem concipiendum adeo esset ineptus, vt necessario nouus fuerit comparandus.

Postremò Comes magnis & meritis laudibus prosequutus est Baronem de *Monte-Aquilæ* ob spectatam eius in Principem & Patriam fidem, quodque prudenter & fideliter tempestiuè literas ad se clandestino missas in lucem protulerat.

Digbeius hîc agnouit se non loquutum fuisse de Regis promisso violato ex sui ipsius certa scientia, sed ex aliorum relatione quibus crediderat & nominatim ex fide D. *Thomæ Treshami*.

NVnc duodecim-viri Iurati reuersi sententiam protulerunt qua septem illos læsæ Maiestatis postulatos, reos peregerunt. *Phillips* Regius ad Legem Seruiens rogauit vt iudicium contra illos septem ex

ipsorum

ipsorum conuictione, & contra *Euerardum Digby* ex ipsius confessione pronuntiaretur.

Capitalis Angliæ Iusticiarius cùm grauiter & prudenter de legibus regnante Elizabetha, contra Recusantes Sacerdotes Romanè Catholicos & eorum susceptores sancitis vnà cum singularum legum caussis & rationibus egisset, & perspicuè demonstrasset illas esse necessarias, æquas, & temperatas, iudicium pronuntiauit.

Cùm iam surrecturi *Euerardus Digby* conuersus ad Dominos Delegatos dixit, si vel audiuero quempiam è vobis dicere se mihi ignoscere, alacrior ad patibulum accedam. Domini Delegati coniunctìm responderunt, *Ignoscat tibi Deus, nos verò ignoscimus.*

Die Iouis insequente *Euerardus Digby, Rob. Winter, Ioannes Grant*, & *Thomas Bates* iuxta Occidentalem portam Cathedralis Ecclesiæ Sancti Pauli Londini, & postridiè *Tho. Winter, Ambrosius Roockwood, Robertus Keyes*, & *Guido Fawkes*, in area veteris Palatij Westmonasterij prope ædes Parlamentarias extremo supplicio fuerunt affecti.

*

HENRICVS GARNET

Superior Societatis Iesuiticæ in *Anglia, læsæ Maiestatis postulatus* erat in Prętorio Ciuitatis Londini vulgò *Guildhall, Die* 28. *Martij* 1606.

Quo tempore hi fuerunt Domini *Delegati:*

Leonardus Holiday Maior Ciuitatis Londini.

Comes Nottinghamiæ.

Comes Suffolciæ.

Comes Wigorniæ.

Comes Northamptoniæ.

Comes Salisburiæ.

Primarius siue Capitalis Iusticiarius Angliæ.

Primarius siue Capitalis Baro Scaccarij.

Christopherus Yeluerton Eques auratus Iusticiarius assessor in Banco Regio.

Crimina

CRIMINA QVORVM *Henricus Garnet* Superior Societatis *Iesuiticæ in Anglia* in hanc ferè sententiam à *Ioanne Croke Equite* Aurato commemorabantur.



ste, qui nunc iam hîc pro tribunali sistitur, hic locus adeòq; totum quod in manibus est negotium, id tandem euincunt esse verissimum, quod & ab ore veritatis est, *Nihil esse occultum quod non manifestabitur, nihil esse secretum quod non reuelabitur, & in palam veniet*; nec non ipsum, qui Regibus dat regnare, Deum, *prauorum dissipare consilium.*

Quòd verò dum in radicem putrem illam è qua proditionis infœlix arbor pullularat, ageret, tremor sibi iam tum artus occuparet, & comas propemodum horror erigeret, voxque faucibus hæreret; id verò summopere excusatum volebat: neque enim penes hominem esse, talia, nisi stupentem, recolere.

Primùm ostendit, *Henricum Garnet* professione Iesuitam, aliàs *Walley*, aliàs *Darcy*, aliàs *Roberts*, aliàs *Farmer*, aliàs *Philips*, (ea nempe omnia sibi nomina affinxerat) Proditionis plusquam barbaræ, plusquam Diabolicæ, cuiusmodi sæculis prioribus inaudita prorsus, postulari: esse quidem eundem, vtcunque *multorum nominum*, nequaquam *boni nominis*; à Deo, & meliore natura dotibus ornatum multis, modò diuina accessisset gratia; quæ cùm abesset, tanto nequior, quanto erat *cætera ornatior.*

Istum porrò *Garnetum* (Regia Maiestate habendo Westmonasterij Parlamento diem dicente Martij 19. Anno regni sui primo, idemque varia prorogatione vsque ad Octobris tertium continuante) vnà cum *Catesbeio* qui in aperto dudum perduellione occisus est, & Oswaldo quodam *Tesmond* Iesuita, alias *Oswaldo Greenwell,* tanquam perfidum serenissimi ac potentissimi Iacobi Regis nostri Proditorem, Iunij Superioris 9. coniurasse atque consilium iniisse.

Regem de solio detrudendi, regnoque penitus exuendi.

Interficiendi tum ipsum Regem, tum Henricum Principem nobilissimum, filium ipsius natu maximum: Regem, & Principem, patrem & filium eiusmodi, quorum sanè virtutes omnem laudem supergressas, silendo potiùs admirari, quàm dicendo explicare possimus.

Conflandi atque concitandi per vniuersum regnum seditionem & cædes perpetrandi.

Verum Dei cultum abolendi, cunctamque Regni administrationem euertendi.

Funditusque vniuersam Rempublicam subuertendi.

Quo autem modo exsequenda essent atrocissima hæc consilia (dixit ille) *horreo dicere*, dicere quidem horrebant labia, verùm exultabat cor intùs, Deumque Liberatorem præpotentem prædicabat.

Facinus adeò inhumanum, adeò barbarum, nefandum, atque immane, vt illi par aut simile quidquam neque lectione vnquam, neque auditione acceptum, neque fictum, neque pictum fuerit, imò neque homini cuipiam nequissimo vnquam in mentem venerit, ne per somnium quidem.

Atq; hic, non posse se dixit non commemorare pium illud scitum Regis pientissimi, quòd & aureis characteribus insculpi subditorum cordibus optabat, *Quanta magis Diabolica machinatio illa, tanto hæc conseruatio Diuinior.* Habuerant iste *Garnet*, *Catesby*, & *Tesmond* priuata inter se comitia, in queis actum est de his insidijs struendis, atque ita tandem perfidiosissimè, ac sceleratissimè inter ipsos conuenit.

Vt idem *Garnet*, *Catesby*, *Winter*, *Fawkes*, compluresq; alij coniuratores,

coniuratores, perduellionis dudum postulati, fulminali puluere sufflarent, (vti loquuntur) & sublimes discerperent Regem, Principem, Præsules & Proceres, regni Iudices, Equites, Ciues, Municipes, aliosque subditos, Seruosque Regios, qui ad regni Comitia maximâ tum frequentiâ confluxerant; vt, inquam, vno quasi ictu, siue spiritu potiùs, eos ad vnum omnes perfidè, ac Diabolicè frustratìm discerperent, nulla prorsus Maiestatis, Dignitatis, Gradus, Ætatis, aut Loci habita ratione.

Atq; in eum finem, fulminalis siue pyrij pulueris ingentem vim congesserant iidem isti Coniuratores, & subter ædibus ipsis Parlamentarijs absconderant.

Hæc summa Accusationis cum esset; *Garnetus*, se *innocentem* dixit. Tum verò Iuratores electi, facta tamen reo *vendicandi* potestate, in facti examinationem pro Tribunali iurabant.

Quos Seruiens monuit, non defutura quidem argumenta quibus reum peragerent luce clariora.

Præstò futura etiam *testimonia rerum, loquentia signa.*

Reum confitentem, seu potiùs *reos confitentes*, *& accusantes inuicem.*

Adeò vt eum sic alloqui possit quis, *Serue nequam*, subdite nequam, *ex ore tuo te iudico*, ex ore tuo te condemno.

Hæc verò ita perspicuè demonstrabit atque patefaciet is, qui id potest optimè, vt, siquis fortè contradixerit, illi os protinùs obstruatur.

COMPENDIVM
Orationis, quam *Edwardus Coke Eques Auratus*, *Attornatus Regius* in Accuſatione *Henrici Garneti Ieſuitarum in Anglia* Superioris habuit.



Ominationibus veſtris, ex Accuſationis modò breuiter explicatis particulis videre eſt, hoc eſſe atrociſſimæ luctuoſiſſimæque illius Tragœdiæ, quæ vulgò Coniuratio pyriopuluerea nuncupatur, quaſi Actum poſteriorem; in qua quidem nonnulli ſuas in Scenam producti ſuſtinuere perſonas, & ſupplicia mortemque ſcelerum ſuorum præmia tulere. Supereſt nunc, vt in iſtum, eiuſdem proditionis delatum, nunc agamus: quam ob rem illud æqui & boni conſulatur, ſaltem non ægrè feratur, ſi quorundam quæ ſunt dicta priùs, neceſſariò repetam & retexam, quandoquidem *id nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis dicitur.* Cum in iudicio proximè ſuperiori ob incredibilem populi frequentiam, plurimi ea quæ tum dicta ſunt exaudire nequiuerint. Cæterùm cùm intereà malè metuam, ne Dominis delegatis pleriſque omnibus reliquoque honoratiſſimo huic maximoque cœtui, qui priori illi interfuere accuſationi, prorſus tædio ſim; cumque longe alterius farinæ & conditionis ſit hoc hominis, quicum mihi impræſentiarum res eſt: priorem diſquiſitionem illam attingam duntaxat, idque

idque quàm possit paucissimis, ea tamen nouitate (quæ dignissima quidem erit auribus vestris, vtpote momenti & ponderis maximi) condita & commixta erũt.

Priusquam verò caussam tantam enarrare aggrediar, satisfacere atque obuiam ire apprimè necessarium duxi, hominibus duûm generum, ijsdem variæ mentis, & studiorum; qui prout ipsi intùs variè affecti, ita variè etiam hariolati sunt, vndénam tandem hæc procrastinatio & mora iudicij, atque animaduersionis, in istum, qui flagitiorum tam atrocium, tamque immanium scelerum accusatur? Hominum istorum primo generi, quidam erga Principem suum, ac Dominum serenissimum, & erga patriam charissimam, & erga hanc Rempublicam sincerus affectus, summaque fidelitas in caussa fuere, quamobrem, quo hæc euaderet mora, prętimuerint: ne alij, videntes hoc modo diem ex die produci, tardoque pede iri in iudicium, animos pariter & consilium capiant, scilicet, similia flagitia designandi. Aiunt nempè (verissimumque profectò est) *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Et *miserum sanè foret*, si hisce viris bonis non foret satisfactum. Genus alterum, eorum est, qui, quòd non ocyùs postulatus sit iste, protinùs eum excusatum eunt; ista nimirum inde aut conijciunt; aut suspicantur. Primò, quòd, si vel is, vel Iesuitarum quis alius execrandæ proditionis istius teneri iure, ac meritò potuissent, sanè antehac in ius vocati fuissent.

Deinde, ista de proditione, deque isto seorsim proditore, exhibitum fuisse in Parlamento codicillum; verùm reiectum eundem, dilatumque ob legitimæ, iustæque probationis inopiam. Imò verò,

vt

vt addam insuper tertium, istius apologia quædam peculiaris in vulgum sparsa est, nec non alia Iesuitarum omnium & Presbyterorum generalis, cui illud etiam annexum est, Regicidium & Reginicidium non à suâ quidem doctrinâ, placitisque promanare, sed figmentum atque technam solummodò esse Politiæ nostræ, vt sic Papismus contemptui, ac despicatui foret.

Iam verò ad istos homunciones quod attinet, optem profecto summopere, illuminari ipsis animorum oculos, vt eo pacto luculentis & claris conuicti demonstrationibus, cum Principe, ac patriâ suâ vltrò in gratiam redirent. Primò itaque ad procrastinationem illam quod spectat (etsi verum sit, *Flagellari eum in corde, qui laudatur in ore*) nequeo tamen isthic Dominorum Delegatorum, & Dominorum regię Maiestati à consilijs sanctioribus operam huic indagandæ rei nauatam, egregiam sane illam & singularem subijcere. Nimirum primò examinatus *Garnet*, proximè elapsi mensis die 13. ad examen post reuocatus est, atque interrogatus vicenis singillatim vicibus, & pluries; quod inde vsq; factitatum est ad Martij 26. Codicillus verò ille Parlamentaris erat quidem exhibitus, nondum apprehenso *Garneto*. Verùm ita Regiæ Maiestati clementissimę visum est, vt Coniuratorum istorum, vtcunque sine exemplo prorsus ista conspiratio sit, cum eo tamen ex lege iustè & moderatè ageretur. De Apologijs autem illis, & commentis (vti appellitant) Politicis, vbi ad enarrandas Iesuitarum technas & machinationes deuenero, adhibebitur Deo volente, responsum; adeoque vniuerso huic amplissimo, frequentissimoque conuentui satis, opinor, fiet.

Priùs tamen quàm vltra pergam, est quod humillimè

mè & summoperè à Dominationibus vestris exorem, quandoquidem necesse habeo de magnis nominatim Principibus verba facere; ea tamen adhibita cautione vt promittam, ac recipiam persanctè, nihil me in animo sanè minùs habere, quàm illis labem inde vllam aspergere. *Legem in sermone tenendam esse*, in hoc genere præsertim, probè noui: nec non cum Regibus & Principibus viris, & cum terrarum Dominis non nisi summa cum reuerentia, honorificéque agi oportere. Quocirca, de mentione quam sum facturus Principum exterorum, ista cogitare apud vos, & recolere velitis, humillimè oro, atque obtestor; Primò, ea Regna tunc temporis apertis inimicitijs, atque hostili odio dissedisse; quare fieri potuisse, vt quod satis fortasse decorum eo tempore fuit, idem alio non item; ita vt ea tempestate, quantumuis hostilia facta suam habeant iustam defensionem. Deinde non hoc loquitur *Attornatus* Regius, sed Iesuita ista *Garnet*; Hoc etiam dictat inexorabilis necessitas, eo quòd alioqui neque huius, neque aliorum Examinationes vel satis commodè explicari, vel satis opportunè contra eos vrgeri possint: adeo perdita istorum proditorum impudentia Magnatum nomina Confessionibus suis intertexuit, vt nullo modo seiungi possint.

Et consolatione hâc fretus claudo tandem hoc procemium, sperans vtique (fauente Numine hodiernum opus, iudicio attenti & non iniqui auditoris, ad Dei Omnipotentis gloriam, Religionis nostræ honorem, ad Illustrissimæ Maiestatis, sobolisque Regiæ incolumitatem, totiusque reip. securitatem spectaturum.

In memoriæ subsidium, & vt ordine & ratione procedam; quicquid dicturus sum, ad hæc duo capita referri

ferri possunt: Primò crimina expendam, & quasdam circumstantias,

Præcedentes }
Concomitantes } crimen.
Subsequentes. }

Quædam deinceps notatu digniora, ab hoc negotio non aliena ab oculos proponam.

Vt proprio nomine hanc proditionem (quoniam de pluribus verba facturus sum) insigniam; quo eam clariùs & distinctiùs ab alijs secernam, Iesuiticam appellabo, vt ad Iesuitas *ex Congruo & Condigno* spectantem; hi enim architecti & machinatores extiterunt. Et verò in huiusmodi criminibus *plùs peccat Author, quam Actor*, quod liquet vel è diuinâ sententiâ de primo peccato in Paradiso; vbi triplex pœna Serpenti, vt primario authori irrogatur, duplex mulieri, vt instrumento, simplex Adamo, vt qui in fraudem illectus sit.

Circumstantiæ, quas hîc præcedentes & subsequentes voco, reuera in se consideratæ, læsæ Maiestatis nomen sibi vendicant; ad hanc tamen immanem, & plusquam prodigiosam proditionem collatæ, facilè se sine dignitatis suæ dispendio, ad circumstantiarum nomen demittere non erubescant. Et quoniam mihi cum primario Iesuita res est, eas tantùm proditiones attingam, quas machinati & moliti sunt Iesuitæ, quorum hic Superior & antesignanus, nec non eas, quæ post huius *Garnet* in Angliam aduentum emerserunt, de quibus illud Poëtæ verè vsurpet, *Et quorum pars magna fui.*

Garneti istius in Angliam accessus (qui quidem nihil à proditione distat) ante vicesimum annum contigit, Mense Iulio 1586. 28. regni Reginæ *Elizabethæ*

beatæ

beatæ memoriæ: cum ſuperiore anno, viz. 27. *Elizab.* lex promulgata fuerat, quâ læſæ Maieſtatis tenebatur quicunque authoritate ſedis Apoſtolicæ ſacerdotalem ordinem ſuſcepiſſet poſt primum regni illius annum, intra regni eius limites veſtigium fixerit. Quam legem Romanè Catholici vt ſanguinariam, crudelem, iniuſtam, nouitiam, heſternam calumniantur, & huc detorquent illud Saluatoris noſtri, *O Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui miſſi ſunt ad te,* &c. id genus. Re tamen vera, plena eſt clementiæ, miſericordiæ, iuſtitiæ, & antiquis, primiſque Angliæ legibus nixa & fundata. Etenim (quod in Accuſationibus prioribus curſim perſtrinxi) ante Bullam impij Pij v. primo R. *Elizabethæ* anno, qua Maieſtas eius ex Eccleſiæ gremio eliminata, regno exuta fuit, omneſque qui ei debitam præſtiterint obedientiam, diris deuoti &c. nulli fuerunt in Anglia qui obfirmato animo à precibus diuinis publicè celebratis abſtinerent, omnes templa frequentabant (quamuis in Papam fortaſſe propenſiores, & prauis opinionibus magna ex parte imbuti) aderantq; precibus, quibus adhuc Eccleſia noſtra vtitur: verùm ſimulac euolârat hæc Bulla, illico ad templa conuenire, & nobiſcum precibus intereſſe penitùs recuſarunt: non quòd hinc ſcrupuli quicquam conſcientijs eorum iniectum fuerit, quòd verbo diuino refragari videremur, ſed quòd Papa Reginam ex Eccleſia exterminâſſet, regno deturbâſſet, omneſque qui ei audientes eſſent, diris obruiſſet. Vnde ex hac Bullâ exarſit in Boreali Angliæ parte rebellio, ingenſque tumultus concitatus eſt. Cæterùm exitum ſpectemus. Miſerrima iam fuit Romanorum Recuſantium conditio, quibus aut ſuſpendium læſæ Maieſtatis nomine

mine imminebat, quòd legitimæ Principis detrectarent imperium; aut Papalis imprecatio, propter debitum obſequium Regiæ Maieſtati exhibitum. Quamobrem de Papa hoc dictum fuit à quibuſdam, etiam quiei ſtudebant, eſſe hominem pium & doctum, ſed nimis credulum, eò quòd temerè fidem habuerit eis qui dicerent, Catholicorum in Anglia vires tanti eſſe, vt poſſent ſe tutò Reginæ opponere. Cùm autem calamitatem hanc viderent ſibi à Bulla conflatam, hâc indultâ veniâ demulſerunt eos Pius Quintus, & Gregorius XIII. licere omnibus Catholicis externam erga Reginam præ ſe ferre obedientiam, *ad redimendam vexationem, & ad oſtendendam externam obedientiam*, his tamen cautelis & cancellis circumſcriptam, 1. *Rebus ſic ſtantibus*, 2. *Donec publica Bullæ executio fieri poſſet.* Omnia hæc ſcripto teſtatus eſt *Garnet*, & nunc etiam palam pro tribunali confeſſus eſt.

Viceſimo anno Reginæ Elizabethæ venit *Campianus* Ieſuita, magnâ comitante caterua eius farinæ hominum, hoc conſilio, vt ignaram plebeculam Catholicis adiungeret, & hoc modo Bullæ Pij Quinti executio fieret. Interea licèt hæc eorum contumacia in abſtinendo à precibus diuinis, nixa leui ſatis & illegitimâ cauſſâ, admodum periculoſa fuerit, multumque Regiæ Maieſtati derogauerit; nulla tamen eo nomine lex ſancita fuit, vſque ad 23. regni annum, & ea mulctâ tantùm pecuniariam irrogabat, dum ſe ad legis amuſſim componerent, & ad morem priſtinum accommodarent. Anno 26. Elizabethæ venit *Parry* à Cardinali *de Como* perſuaſus Reginam occidere, ſcz. ex Eccleſia eiectam, & hoc iure optimo licere.

Quamobrem Regina ſecum perpendens, quomodo

(vnà

(vnà cum salute & tutela subditorum) hæc suo capiti impendentia à Iesuitis & sacrificis pericula declinaret, ingressa est hanc rationem omnium mitissimam & optimam, prohibendi eos finibus suis. Cum nullus vnquam Princeps extiterit qui tolerauit, & non summo potiùs supplicio affecit, siquis intra ditionem suam eum legitimum Regem esse abnegaret, aut subditos ab imperio eius abstrahere conaretur, aut ad arma aduersus eum induenda excitaret. Quinetiam cùm subditus contra subditum Bullam inferret sub regno Edwardi Primi, proditionis instar obtinuit. Verùm obiter, quoniam *Garnet* vociferatur in hæc verba, Ostendite vbi fuerit Ecclesia vestra ante *Lutherum*, designate locum, nominatim personas innuite, &c. respondemus collatione ad massam auri puri puti, quæ cùm in impostorum manus deuenit, eorum præstigiosis artibus varijs mixturis contemperata & contaminata, lucelli scilicet gratia, in immensam molem excrescit, & tamen nihilominùs auri speciem ementita oculis lenocinatur. Vbi nunc purum putum aurum? dixerit quispiam, digitum intende in locum: respondeo, in ipsa massa: vt tamen sincerum, defœcatum, & à scoria repurgatum niteat, aurificis & Lydij lapidis aduocanda est opera. Sic prorsus vera religio, & omnipotentis Dei cultus, quamuis vt magnifica specie spectantibus augustior videretur, adulterata fuerit, imo prorsus obruta superstitiosis cęremonijs & humanis commentis; habuit tamen semper Deus Ecclesiam suam incorruptę veritatis tenacem, quæ à peritis artificibus ad examen Lydij lapidis (verbi diuini) purgata, ab omni scoriæ contagio, quam humanum affixit ingenium, liberata est. Verùm vt pergamus. An Elizabethæ 28. An.

Domini 1586. mense Iunio in Angliam traiecit *Henricus Garnet*, quod sine læsæ Maiestatis notâ fieri non potuit, cùm reuera totus fuerit ex proditione compositus. Atque hoc eodem tempore contigit, cùm ingens ille ex Hispania exercitus, quem benedictione sua dignatus est Papa, & *Inuictæ Classis* nomine insigniuit, contractis vndiquaque militibus mercenarijs, & nauigijs, vnde *Composita Classis* vocari poterit, quæ nauibus constabat 158. Huius classis præuij & prænuntij Iesuitæ fuere, inter quos & *Garnet*, primo in terram ingressu læsæ Maiestatis reus. At Regina classem hanc subditorum suorum virtute disiecit, ipso numine (in cuius caussa pugnauimus) nobis auxiliante, famulantibus eius imperio igni, mari, scopulis, ventis, procellis, donec omnibus dissipatis, & in diuersa disiectis, plurimi perijssent. *Siquidem offenso Creatore, offenditur omnis creatura*, & armata in procinctu stat ad Dominum vindicandum; qua de caussa etiam *Rex Exercituum* nuncupatur. Ita demum è 158. nauibus, vix quadraginta in portum peruenerunt, & quemadmodum multi perhibent, pars maior perijt, adeò vt eo sensu ad Elizabetham accommodemus id quod de Christiano Imperatore cecinit Poëta,

O nimium dilecta Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Illud etiam hoc in loco non negligendum, sub id tempus expeditionis, cùm in vnum locum conuenissent de hac ipsa re deliberaturi Cardinalis Austriæ, Dux Medinæ, Comes Fuentes, duo Episcopi ex Hibernia, & complures rei militaris studiosi, inter quos *Winslade* natione Anglus. Cùm animaduertissent Hiberni Episcopi, expectare eos Catholicorum in

Anglia factionem; pronuntiârunt fieri non posse, vt quicquam in Anglia proficerent, nisi excitata priùs Catholicorum in Anglia factione, partes suas præmunirent. Eam tamen esse aiebant Anglorum in periculis longè prospiciendis solertia, vt hæc effici non possint; siqua enim suspicio sollicitarit, siquis timor increpuerit, Catholicos propediem vel firmæ satis custodiæ mancipari, aut è medio tolli: O Euge exclamat illico veteranus, *hoc pro nobis facit:* hac enim ratione animæ eorum in religionis pretium, in cœlum migrabunt, corpora ad terram in mercedem proditionis concident, agri & prædia ad nos victoriæ nomine pertinebunt, & hic reuera scopus fuit ad quem collimarunt. Hic interim animaduertere est, à primo Iesuitarum in insulam hanc ingressu, ad hunc vsque diem, nunquam integrum quadriennium effluxisse, in quo non exitialem aliquam proditionem in totius reipublicæ pernitiem machinati sunt. Postquam aperto Marte debellatum fuit Anno Domini 88. iterum cæcis proditionis cuniculis, oppugnare nos aggressi sunt Iesuitæ: paulo enim post, Anno 1592. huc traiecit *Patricius Cullen* instigantibus eum *Guilielmo Stanley* Equite Aurato, *Hugone Owen*, *Iacobo Frauncis*, & Iesuita *Holte*, vt cuius consilio in Reginæ cædem armatus, in eum finem peccatorum remissionem & illum Sacramenti calicem ab eodem accepit. Quem hoc etiam consilio prosequitur, parricidium hoc non tam per leges licere, quàm diuinum fauorem demereri: subiecit hic Iacobus vilis ille lotricis filius (qui semper vnà cum *Cullen* & alijs Reginæ exitium machinatus est) respublica Anglicana sic fundata constat, & constabit, vt nisi tollatur Domicella illa Elizabetha, totius

Acherontis

Acherontis furiæ eam conuellere, & labefactare nequaquam potuerint.

Proditionem istius *Cullen* comitatus est liber, cui nomen *Philopater*, in huiusmodi facinorum patrocinium, à *Creswell* Iesuita, qui tum in Hispania agebat, conscriptus, *Philopatris* nomine adumbratus. Anno 1594 huc appulerunt *Williams* & *Yorke* in idem negotium accincti, scilicet Reginæ cædem, ad hoc tam impium & detestabile facinus in se suscipiendum adducti suasu Iesuitæ *Holte*, & aliorum eiusdem gregis: quod vt alacriùs perpetrarent, prædicti *Williams*, & *Yorke*, alijque Iesuitæ, mysticum illum cœnæ Dominicæ panem ab *Holte* acceperunt. Huic etiam proditioni librum adiunxerunt, à Iesuita *Parsons*, qui Romæ Rectoris munere fungitur, compositum, de Titulis scz. sub *Dolemani* nomine dissimulatum, improbum, vanumque librum, & ex mendacijs, figmentis, & contumelijs totum consutum & consarcinatum. An. 1597. *Squire* ex Hispania huc transmisit, vt rem ferro dolisque toties tentatam veneno transigeret, hortatu & consilio *Walpole* Iesuitæ, id temporis in Anglia dilitescentis, à quo post veniam peccatis concessam sacramento adactus est negotium exequi, & id supprimere silentio. Omnes has proditiones authores ipsi sponte & liberè confessi sunt, propria vniuscuiusque manu exaratas, vt hac in re tabulis (quod aiunt) obsignatis agere possimus.

Anno 1601. cùm artes eos defecerant, viribus iterum rem aggrediuntur: tum enim (vt priori actione manifestum fuit) *Thomas Winter* vnà cum *Tesmonde* Iesuita missus est ad Regem Hispaniæ ab isto *Garnet*, qui literas dedit ad *Arthurum*, aliâs *Iosephum Creswell*

(qui

(qui peritissimus omnium artifex, ad sacri fontis lauacro susceptum prænomen primus quod sciam, deposuit) in Hispania agentem Iesuitam, vt negotium hoc promoueret, nimirum (quod priùs dictum fuit) vt Catholicorum in Anglia operas Regi offerret, & insuper de noua expeditione tractaret, promissis Catholicorum nixus qui expeditas peditum equitumque copias præsto ei fore in se recipiebant. Negotium hoc diligentia *Creswelli* ad quem *Garnet* literas dedit, tam fœliciter successit, vt cùm duo illa regna bello dissiderent, Catholicorum tamen Anglicanorum conditionem auidè amplexarentur, exercitum (quod priori accusatione retuli) qui Angliam inuaderet, promitterent, centum coronatorum millia inter Papistas & seditiosos, qui in hanc rem factionem in Anglia conflarent, diuidenda concederent. Interim Rex magnopere efflagitabat, vt si fortè fortuna Regina diem suum obiret, illud quamprimùm & quàm certissimè significarent.

Hanc proditionem scripto suo ipse Papa prosecutus est, nunc enim Sanctissimus pater edicta duo seu *Bullas* isti *Garneto* mittendas curauit, vnum ad Clerum, ad populum alteram, in quibus Titulum, Rem, Tempus perpendamus obsecro. Titulus vni præfigitur, *Dilectis filijs Principibus, & Nobilibus Catholicis salutem, & Apostolicam benedictionem:* alteri in hæc verba inscribitur titulus, *Dilectus filijs Archipresbytero, & reliquo Clero Anglicano.* Res ipsa huiusmodi fuit, post obitum Elizabethæ siue naturalem, siue violentum, quicunque ius regni sibi arrogarent, *Quantumcunque propinquitate sanguinis niterentur, nisi eiusmodi essent, qui fidem Catholicam non modò tolerarent,*

Acherontis furiæ eam conuellere, & labefactare nequaquam potuerint.

Proditionem istius *Cullen* comitatus est liber, cui nomen *Philopater*, in huiusmodi facinorum patrocinium, à *Creswell* Iesuita, qui tum in Hispania agebat, conscriptus, *Philopatris* nomine adumbratus. Anno 1594 huc appulerunt *Williams* & *Yorke* in idem negotium accincti, scilicet Reginæ cædem, ad hoc tam impium & detestabile facinus in se suscipiendum adducti suasu Iesuitæ *Holte*, & aliorum eiusdem gregis: quod vt alacriùs perpetrarent, prædicti *Williams*, & *Yorke*, alijque Iesuitæ, mysticum illum cœnæ Dominicæ panem ab *Holte* acceperunt. Huic etiam proditioni librum adiunxerunt, à Iesuita *Parsons*, qui Romæ Rectoris munere fungitur, compositum, de Titulis scz. sub *Dolemani* nomine dissimulatum, improbum, vanumque librum, & ex mendacijs, figmentis, & contumelijs totum consutum & consarcinatum. An. 1597. *Squire* ex Hispania huc transmisit, vt rem ferro dolisque toties tentatam veneno transigeret, hortatu & consilio *Walpole* Iesuitæ, id temporis in Anglia dilitescentis, à quo post veniam peccatis concessam sacramento adactus est negotium exequi, & id supprimere silentio. Omnes has proditiones authores ipsi sponte & liberè confessi sunt, propria vniuscuiusque manu exaratas, vt hac in re tabulis (quod aiunt) obsignatis agere possimus.

Anno 1601. cùm artes eos defecerant, viribus iterum rem aggrediuntur: tum enim (vt priori actione manifestum fuit) *Thomas Winter* vnà cum *Tesmonde* Iesuita missus est ad Regem Hispaniæ ab isto *Garnet*, qui literas dedit ad *Arthurum*, aliâs *Iosephum Creswell* (qui

(qui peritissimus omnium artifex, ad sacri fontis lauacro susceptum prænomen primus quod sciam, deposuit) in Hispania agentem Iesuitam, vt negotium hoc promoueret, nimirum (quod priùs dictum fuit) vt Catholicorum in Anglia operas Regi offerret, & insuper de noua expeditione tractaret, promissis Catholicorum nixus qui expeditas peditum equitumque copias præsto ei fore in se recipiebant. Negotium hoc diligentia *Creswelli* ad quem *Garnet* literas dedit, tam fœliciter successit, vt cùm duo illa regna bello dissiderent, Catholicorum tamen Anglicanorum conditionem auidè amplexarentur, exercitum (quod priori accusatione retuli) qui Angliam inuaderet, promitterent, centum coronatorum millia inter Papistas & seditiosos, qui in hanc rem factionem in Anglia conflarent, diuidenda concederent. Interim Rex magnopere efflagitabat, vt si fortè fortuna Regina diem suum obiret, illud quamprimùm & quàm certissimè significarent.

Hanc proditionem scripto suo ipse Papa prosecutus est, nunc enim Sanctissimus pater edicta duo seu *Bullas* isti *Garneto* mittendas curauit, vnum ad Clerum, ad populum alteram, in quibus Titulum, Rem, Tempus perpendamus obsecro. Titulus vni præfigitur, *Dilectis filijs Principibus, & Nobilibus Catholicis salutem, & Apostolicam benedictionem:* alteri in hæc verba inscribitur titulus, *Dilectis filijs Archipresbytero, & reliquo Clero Anglicano.* Res ipsa huiusmodi fuit, post obitum Elizabethæ siue naturalem, siue violentum, quicunque ius regni sibi arrogarent, *Quantumcunque propinquitate sanguinis niterentur, nisi eiusmodi essent, qui fidem Catholicam non modò tolerarent,*

sed omni ope & studio promouerent, & more maiorum iureiurando se id præstituros susciperent, ad Angliæ sceptrum tenendum non reciperentur.

De Rege Iacobo quod attinet (quem innuebat Papa) ad ius regni vendicandum, & *propinquitate* & *antiquitate* regalis *sanguinis* nititur: si accuratæ huius rei explicationi immorarer, & tot sæculorum & stemmatum seriem euoluerem, tum pro temporis ratione protinùs nimius forem, tum (vt se habet vernaculum adagium) aurum viderer inaurare: verbo rem expediam. Regium stemma rectâ lineâ a Sancta illa *Margareta* filia Edwardi, cui pater Edmundus nepos magni illius Edgari Britanniæ monarchæ: quæ *Margareta* vnica Regum Anglo-Saxonum hæres, in matrimonium data est Malcolmo Scotorum Regi, qui ex ea filium suscepit Dauidē Sanctum Scotorum Regem, ad quem hodierno die stirps Regia stemma suum refert, & Matildem *Bonam* coniugem primi & eruditi Henrici Anglorum Regis, à qua rectâ lineâ originem deducit, de qua illius sæculi Poeta:

Nec decor effecit fragilem, nec sceptra superbam,
Sola potens humilis, sola pudica decens.

Denique ex Margareta oriundus est filia Henrici Septimi natu maxima, quæ ex celebri illa duarum rosarum albæ & rubræ Lancastrensis, & Eboracensis vnione nata est, cuius vnionis nodus Angliæ multo sanguine constitit, præter octoginta plùs minùs stirpis regiæ. Insignior tamen vnio singulari numinis indulgentia, in Rege nostro coaluit, Leonum scilicet, cum duo regna tum antiquitate tum nominis celebritate illustrissima non tantùm sine cæde & sanguine, sed etiam concordi omnium consensu, & applausu omnium cuiuscunque

cuiuſcunque ordinis & conditionis vna voce approbantium coierunt, quale nunquam fuit aut fando auditum, aut literarum monumentis proditum: idcirco illuſtriſſime Rex (ad illum enim iam noſtra ſe conuertit oratio)

Cum triplici fuluum coniunge Leone Leonem,
Vt varias Atauus iunxerat ante Roſas.
Maius opus varios ſine pugna vnire Leones,
Sanguine quàm varias conſociâſſe Roſas.

Quatuor hi nobiles & magnanimi Leones, tam certo & indiſſolubili nexu conſtricti, facilè & nullo negotio omnes Bullas diſcerpent & dilaniabunt, quæ aut iam miſſæ ſunt, aut mittentur dehinc in Angliam.

Quod ad tempus attinet, meminerimus Bullas has ſtatim inſecutas *Winteri* in Hiſpaniam traiectum, quo tempore aut paulò pòſt traijciendus fuit in Angliam exercitus, qui eam expugnaret, & omnia hæc tum fieri oportuit, quandocunque *contingeret miſeram illam fœminam* (ſic Romano ſacerdoti placuit Reginam Elizabetham nominare) *ex hac vita excedere.* Ergone miſera Regina Elizabetha? *Miſeriam conſtare aiunt ex duobus contrarijs, copia & inopia. Ex copia tribulationis, & inopia conſolationis.* Illane inquam miſera, quam præpotens Deus & à *ſagitta interdiù volante*, hoc eſt ab ingenti illo exercitu, & a *peſte in caligine graſſante*, hoc eſt, ab occultis eorundem ſubdoliſque inſidijs, toties idque non ſine miraculo propugnauit? quæ ſuum debellauit potentiſſimum hoſtem, quæ in Regno ſuo Regem adorta eſt, quæ nationibus quaſi Dea tutelaris fuit, miſeriſque ac iam tum perituris populis opem & ſuppetias tulit, quæ ſubditos ſuos Halcyonia pace, & rerum copia beauit, atq; ſubditorum

suorum omnium, saltem optimorum animos & voluntates sibi deuinxerat? Cui regnanti *Pietas* & *Gloria* supremum diem claudenti *Christianismus* & *Pax* indiuiduæ comites vsque & vsque extiterunt? O terque quaterque beata Regina, nostra non ita pridem Domina charissima.

Verum enimuerò beatæ memoriæ Regina *Elizabetha (memoria namque eius semper erit in benedictione)* instar Phosphori splendentis, in plenitudine temporis, naturalem suam tunc amisit lucem, cum Sol magnus ille & gloriosus in Horizonte nostro exortus est. Atq; iam inde ab aduentu potentissimi Iacobi Regis, non quatuor, non dicam, anni, sed nec quatuor, ne bini quidem menses effluxerunt, in quibus non aliqua fabricata est proditio. Mense Martio 1603. mox inde ab obitu Reginæ, priusquam illis Regia Maiestas de facie nota, a *Garneto*, *Catesbeio* & *Treshamo*, in Hispaniam amandatus est *Christophorus Wright*, vt mortem oppetijsse Reginam significaret, *Thoma Winter* nimirum in eo negotio suffectus. Atque etiam ad *Creswell* Iesuitam literas dat *Garnetus* quibus & dilaudat ista, quæ tum moliebatur negotia, necnon auxilium subsidiumque desposcit, queis eadem conficeret.

Quemadmodum etiam 22. sequentis Iunij *Guido Fawkes* è Flandria missus a *Baldwino* Iesuita, *Guilielmo Stanley*, & *Hugone Owen* eadem de proditione acturus, literis insuper a *Baldwino*, *Creswello* Iesuitæ in Hispania tum legato commendatus, negotij sui celerius expediendi ergô, veluti in priore accusatione iam dictum. Eodem Iunio *Garnetus* Superior, vnà cum *Gerrardo* alijsque Iesuitis, & Catholicis *Iesuitatis*, operam locat, non modo equitatui conquirendo (quem per

Thomam Winter, & *Christophorum Wright*, cum illi seorsim res istas ibi agebant) omnium in Anglia Catholicorum nomine Hispano Regi in auxilium polliciti fuerant, quo tempore copias suas huc idem Rex transmitteret, vel ad Milfordium portum, vel in Cantium (vti etiam iam priùs dictum) Verùm etiam supra-dictarum Bullarum vi & virtute freti, Catholicos a debita Regię Maiestati obedientia prętanda, quòd Romanā religionem non erat amplexus planè dehortabantur, contra quidem quàm verę Ecclesiæ eiusque alumnis in more positum est, qui *ferendo*, non *feriendo* bella gerunt, vtpote quibus arma potissima sunt *orationes* & *lachrymæ*.

Eiusdem Iunij die 9. 1603. Iacobi anno primo in lucem emersit conspiratio illa presbyterorum Romanensium, *Watsoni* & *Clarki*, quemadmodum & illa altera *Gualteri Raleigh*, & aliorum. Cæterùm Iesuitæ cùm ipsis compertum erat, pacem iam mox (quantum conijcere erat) ineundam, præterea quæ & Hispaniæ Regi proponebant, minùs iam arridere; adeo vt vi & armis nihil iam vltrà possent; ad occulta molimina se protinus receperunt. Bullæ autem quarum prius memini, cùm ex *Catesbio* intellexerat *Garnetus* Iacobum publice Regem iam declaratum; adeoque rempub. constabilitam, illico sunt, vt ipse affirmat *Garnetus* in ignem coniectæ. Verùm vt pergamus.

Mense Martio 1603. colloquuntur *Garnet* & *Catesby* nefarius ille proditor. Cui tum *Catesby* generatim narrat, (ea in re certè vanissimus, & mendacissimus) Regem Catholicis datam fidem fefellisse, quapropter proculdubiò fore propediem vt aliquid turbarum in Anglia daretur. Conueniunt Septembri proximo

Catesby, & *Thomas Percy*, vbi post iniustam & pergrauem a *Catesbio* effusam de Regijs consilijs quærimoniam, Eum nempe contra quàm sperabant ipsi, & iam nunc insistere, & quantum ariolari erat, vsque institurum esse ijsdem cum Regina *Elizabetha* vestigijs. In hæc nefaria verba derepentè erumpit *Percy*, nihil iam remedij reliquum esse, nisi vt interficerent Regem, quod etiam se facturum vltrò pollicetur. At verò *Catesby* vtpote *versutô ingeniô, & profundâ perfidiâ*, igneum istum præferocis ingenij æstum, ratus ad maiores machinationes vsui futurum, ei ob summam alacritatem quasi demulcet caput, sagacia tamen & salubria interim instillans consilia: Minimè verò, inquit, mi *Thoma*; næ tu ob rem tantillam, si me audies, non periclitabere: siquidem tibi cordi est proditio, hem technam emolumento futuram longe maiori, eiusmodi etiam quæ detegi, & palam fieri nullo modo poterit, proditionem innuens per pyrium siue puluerem fulminalem.

Mense Ianuario anno primo Iacobi *Garnetus* sibi diploma gratię ex vniuersali illa indulgentia quam Rex primis regni auspicijs concesserat, sub nomine *Henrici Garneti de London Generosi*, ementitis illis nominibus *Farmer*, *Walley*, & cæteris omissis, sub magno Angliæ sigillo sibi comparauit.

At veritus *Catesby* nequis eorum, quos in coniurationis huius fœdus aut iam adsciuerat, aut posthæc adsciturus esset, tam atrocis flagitij horrore territus fortè ab incepto desisteret, & rem totam indicaret, ad *Garnetum* illico se confert (vtpote, qui Iesuitarum Superior, atque eo nomine summæ tum fidei tum authoritatis apud Ecclesiæ Romanæ alumnos fuit) vt ipsius iudicio

ad conſcientiam informandam, de hoc facinore an licitum eſſet nec ne, vteretur, vtque inde poſſet ſiqui in pertexenda iſta proditione hæſitarent, ijs ſatisfacere, atque omnem ex animo ſcrupulum euellere. Veniens itaque *Catesby* ad *Garnetum*, hoc ei expediendum proponit, & quęrit, an ad Catholicorum cauſam aduerſus Hæreticos promouendam (ita exigente & temporis & occaſionis neceſſitate) fas ſit inter multos ſontes, inſontes etiam nonnullos vnà perdere, & è medio tollere. Deliberatè, atque confidenter ad quęſtionem hanc reſpondit *Garnetus*. Omninò fas & licitum eſſe (modò ſi inſontes aliquot, vnà cum ſontibus multis tollendo, factioni Catholicorum bono cederet) pariter omnes vnà tollere. Sed & petitam ab vrbe qua hoſtis potiretur, ſimilitudinem ad hoc illuſtrandum adhibuit. Si eo tempore ſcilicet, quo vrbs illa denuò caperetur, & ab hoſtium poteſtate vendicaretur, inibi forſan amici aliquot forent, debere omnes in illa, hoſtium communi exitio belli aleam ſubire. Atque ita *Garneti* Ieſuitarum Superioris ſententia firmiſſimum, idemque vnicum erat vinculum, quo *Catesby* omnes poſtea proditores in coniuratione tam execrabili & nefaria ſibi conſtrictos tenuit. Menſe Martio enim inſequente *Catesby*, *Thomas Winter*, alijque de fulminali hoc ſtragemate concludunt. Et *Guido Fawks* vtpote ignotus, nebulo perditus, & ad quiduis audendum veteranus proiectus, ad hanc rem idoneus ab omnibus iudicatus eſt; vnde ille Aprili proximo a *Thoma Winter* inueſtigatus, & ex Flandria tandem in Angliam adductus eſt. Menſe Maio, regni Iacobi ſecundo conueniunt *Catesby*, *Percy*, *Iohannes Wright*, *Thomas Winter*, *& Fawkes*: & tactis ſacroſanctis E-

uangelijs

uangelijs, in taciturnitatem & constantiam, hac aut simili formula iurati.

IVrabis per sanctam Trinitatem, perque Sacramentum quod iam sumpturus es, nunquam directè aut indirectè, verbis aut circumstantijs istam rem reuelare quæ tuæ fidei mandanda, neque ab executione istius desistere, donec reliqui tibi veniam concedant.

Præmissis Confessione, & Absolutione Sacramentum a Iesuita *Gerardo*, qui tum aderat administratum sumpserunt. Iunio subsequente *Catesby* & *Greenwell* Iesuita de proditione pyriopuluerea sermonem habent. Circa Festum etiam Ioannis Baptistæ *Catesby* & *Garnet*, cùm in sermonem eadem de re incidissent, adeò certam esse pronuntiabant, vt perfici eam necesse foret, antequam palam fieret. Tum verò *Garnet* Papam consulendum censuit: at respondit *Catesby* se hoc a Papa concessum in duabus antea Bullis arbitrari. Etenim si eum non excipere, si etiam repellere fas esset; (quod illæ innuebant Bullæ) reijcere proculdubio eundem, atque expellere non nefas esse. Die Iulij 7. 1604. prorogantur Comitia, vsq; ad septimum Februarij. Et Nouembri sequente *Thomas Bates*, qui (vt in accusatione priore pluribus narratum est) à *Catesby* hero suo introductus est, & in conscientiam & societatem proditionis assumptus. Vtq; fideliùs reticeret, & alacriùs prosequeretur cœptum negotium, *Greenwel* Iesuita illum adigit ad Confessionem, omnibus modis addit animos, hortatur & suadet deniq; eum tam iusta causa fretum, & iure omninò posse, & debere illud non modò subticere, quod herus impertierat, verumetiam

adijcit

adijcit insuper omni culpa vacare, iustumque & præclarum facinus quod moliebantur esse. Eodem ferè tempore in coniurationem ascitus est *Robertus Keyes*, atque à *Catesby* eam esse iustam ex Iesuitarum opinione persuasus est. Decemb. die vndecimo itum est in viscera terræ, & subterranea molitio inchoata, Martioque proximo Anno 1605. *Guido Fawkes* ad *Guilielmum Stanley* Equitem Auratum in Belgium transmissus, vnà cum literis à *Garneto* ad *Baldwinum* Iesuitam ibi legatum, vti is procuraret scilicet, vt ad tempus quo fulminalis ille puluis incenderetur, copiæ ad loca maritima perducerentur, quo scilicet ocyùs in Angliam traijcerent. Atq; ibi *Fawkes* etiam coniuratorum consensu *Oweno* taciturnitatis, & constantiæ iusiurandum proponit, nec non eum totius coniurationis gnarum fecit. Qui nequissimus vtique & veteranus iam olim proditor, eam & mirè dilaudat, & calculo suo atque consilio iuuat. Mense Maio 1605. à Catholicis Romanensibus excitatur in Wallia nonnihil turbarum, quo etiam tempore *Rookewood* proditionem hanc pyriopuluer eam ex *Catesby* intelligit: itidem & omninò legitimam eandem esse, ex eodem tanquam ab ore Iesuitarum ediscit. Quin iam *Garnetus* etiam cum Papa per literas egit vt vel a Sanctitate eius, vel ab *Aqua viua* Iesuitarum Generali mandatoriæ quamprimum huc litteræ mittantur, quibus vniuersi Catholicorum in Anglia tumultus inhibeantur. Statuerant nempe technis hisce pyriopuluereis, de re Romana quasi aleam iacere, ac de suprema Catholicorum salute decernere, vitaque ad nostrum exemplum compositâ, securitate & otio delinire, ne Papistæ tumultuando in suspicionem venirent, aut de tur-

 bellis

bellis eorum quæstio fieret, inde remora fortè obijceretur technæ suæ. Cùm verò vltra postularent, vt sub Censura hac inhiberentur, ne proditioni pyriopuluereæ reuera præpedimento foret, non est concessum.

Insequenti Iunio Iesuita *Greenwell* cum *Superiore* suo *Garnet* de tota ratione huius pyrio-puluereæ proditionis multum diuque deliberat, & attendite quàm astutè, quàm versutè egerit. Primò nolle se dixit vlli Laico rem hanc impertire (nisi soli *Catesbio*, cuius fidei tantum tribuebat) Quam autem ob caussam? scilicet ne ordinis sui dignitati derogaret, quòd Iesuita idemq; *Superior* inter Iesuitas in negotio fundendi sanguinis Laicum sibi socium palam ascisceret: & ideo secundo loco, vt cum sacerdote & Iesuita eiusdem ordinis homine & sibi subdito consilium caperet, & quo tutiùs ageret, cum *Greenwello* Iesuitæ simulata cōfessione rem communicaret. Verùm edoctus, prolixam nimis hac de re orationem fore, quam vt à genibus nixo haberi possit, respondit velle se cum eo deliberare in Confessione ambulatoria, & sic ambulantes sub specie confitendi, de toto huius pyriopuluereæ proditionis consilio vberrimè disseruit, & quomodo post fatalem plagam illatam, vni è proceribus pręmonito & conseruato regni cura esset demandanda.

Prætereà hoc Mense magna consultatio inter *Garnetum*, *Catesby*, & *Franciscum Tresham* de viribus Catholicorum in Anglia agitata est, in eum finem vt *Garnetus* ea de re Papam certiorem faceret, eò quòd Sanctitas eius nullo modo adduci potuit, vt se vlla ex parte Catholicorum rebellioni fauere declararet, donec certò audiret eos ita ab exercitu paratos esse, vt superiores possent euadere. Augusto Mense paulò pòst

Garnetus

Garnetus in consultatione habita de pyriopuluerea proditione Papæ aperienda, *Edmundum Bainham* Equitem auratum elegit, qui ad Papam hac de re nuntius proficisceretur, non tamen vt ad Papam, sed vt ad Principem secularem, & in eam rem per eundem *Garnetus* literas mittit, & etiam ad seditionis comprimendas sub pœna censuræ: hoc interim exploratum habens, priusquam eorum literis responderi posset, domum Parlamentariam (sicut inter eos conuenerat) vi illius pulueris conuellendam esse, primariosque regni viros esse delendos. Sed hanc artem adhibuit more aucupis qui furtim cum cane sedentario capturus perdices, canem subinde increpat, quasi auibus nimis appropinquet, donec extensis plagis eas priusquam euolarent, incluserit. Eodem etiam mense *Garnetus* Iesuita literas dedit ad *Baldwinum* Iesuitarum in Belgio legatum, in gratiam *Catesbij*, vt *Oweno* apud Marchionem intercedente, equitum turmæ *Catesbius* præficeretur, non eo animo (sicut inter eos constitutum fuit) vt huiusmodi curam *Catesbio* demandaret, sed vt hoc prætextu equos & alia necessaria in promptu haberent, quibus sine vlla suspicione proditores instruerent.

Septembri proximo *Parsonus* Iesuita per literas a *Garneto* petit, vt distinctè singula describeret, de itinere ad Sanctæ *Winifridæ* fontem, quod sibi destinauerant hoc mense suscipiendum; sed hæc omninò fraus pura puta, vt hoc obrentu occasionem captarent, in illas oras se recipiendi. Mense Octobri reliquos proditores conuenit *Garnetus* apud *Coughton* in Com. Warwicensi, hoc commune illis hospitium erat, in quod ex omnibus terræ angulis se subducerent. Die primo Nouem-

bris palam orat *Garnetus* pro felici successu in grauissima Catholicorum caussa, sub initio Parlamenti: Oratio autem plus est quàm assensio, Nemo enim orat, nisi qui sperat, & credit; Ille orationi inseruit versus duos ex Hymno, *Gentem auferto perfidam, Credentium de finibus, vt Christo laudes debitas, Persoluamus alacriter.*

Intereà hæ literæ ad Dominum de *Monte Aquilæ*, siue *Monteagle*, peruenerant, cuius memoria Die 4. Nouembris celebrabitur: & omnipotentis Dei prouidentiâ, paucis ante destinatum agendi tempus horis planè pleneq; integumentis suis euoluta apparuit proditio. Die quinto Nouembris ipso temporis articulo, quo expectabant proditores infandum hoc scelus perpetratum iri, conuenerunt in opido cui nomen *Dunechurch*, quasi venatum profecturi, in gratiam *Euerardi Digby*, vir magnę eo loco existimationis & autoritatis, opinantes hoc modo copijs contractis, vires suas ad arma contra Regem sumenda confirmare: confluente enim vndique multitudine, tumultu subitò excitato, omnes aut saltem plerosque meliorem fortunam amplecti velle, at nullo negotio adduci vt a se starent; prætereà Dominam *Elizabetham* Regis filiolam in eorum potestatem facilè posse redigi, cùm in vicinia ageret in ædibus Baronis *Harrington*.

Die sexto Nouembris, *Catesby*, alijque coniurati *Thomam Batęs* properè miserunt ad *Garnetum*, qui (quod probè norant) pręstò fuit, in vico *Coughton*, non longè ab ijs dissito, eius opem & operam obnixè implorantes ad Walliam concitandam, & quamplurimos ad arma contra Regem palam capienda instigandos. Quo tempore *Garnetus* & *Greenwellus* (qui tum

ex composito apud *Garnetum* commorabatur) cùm compertum haberent artes suas patere, cùmq; sibi conscij essent se authores & antesignanos huius proditionis esse, certum exitium toti Iesuitarum ordini imminere trepidi denuntiabant; timere se confitentes ne huius horrendi sceleris infœlix successus, totam Iesuitarum societatem dissolueret prorsus & euerteret. Verùm *Greenwell* Iesuita animo magis inflammato exęstuans, huc & illuc quanta potuit celeritate circumcursitabat, quoscunque potuit ad arma induenda concitaturus. Et in domo *Abingtoni*, *Hallum* alterum Iesuitam conueniens, suadet vt sine morâ quamplurimos ad seditionem incitaret; Dum *Hallus* hæsitabat & secum rem diutius perpendere videbatur, siue infœlicem expectans tam temerariæ rebellionis exitum, siue timens ne ipse simul comprehenderetur: *Tesmondus Hallum* improperando phlegmaticum vocitat & addit hinc planè perspici, homo homini quid intersit, sc. inter phlegmaticum (qualem *Hallum* putabat) & cholericum, qualem se affirmabat; quinetiam ait se secum decreuisse olim operam quantum posset maximam ad conflandam seditionem nauaturum sub hoc prætextu, quasi iam exploratum esset omnes in Anglia Catholicos iugulandos: spe certa se hinc complures concitaturum ad bellum, pro salute suscipiendum; & blandiente hac opinione tumidus in Comitatum Lancastrensem se proripuit. Posteà *Hallus* aliàs *Oldcorne* Iesuita, cùm *Humfredus Littleton*, ex infausto successu horrendæ istius proditionis, Numen ipsum iratum ijs esse diceret, & tam cruentis & plusquam barbaris conatibus non obscurè aduersari; cùm iam oportuit eum summa cum animi deiectione iustitiam Dei agnoscere, ar-

bris palam orat *Garnetus* pro felici succeſſu in grauiſſima Catholicorum cauſſa, ſub initio Parlamenti: Oratio autem plus eſt quàm aſſenſio, Nemo enim orat, niſi qui ſperat, & credit; Ille orationi inſeruit verſus duos ex Hymno, *Gentem auferto perfidam, Credentium de finibus, vt Chriſto laudes debitas, Perſoluamus alacriter.*

Intereà hæ literæ ad Dominum de *Monte Aquilæ*, ſiue *Monteagle*, peruenerant, cuius memoria Die 4. Nouembris celebrabitur: & omnipotentis Dei prouidentiâ, paucis ante deſtinatum agendi tempus horis planè pleneq; integumentis ſuis euoluta apparuit proditio. Die quinto Nouembris ipſo temporis articulo, quo expectabant proditores infandum hoc ſcelus perpetratum iri, conuenerunt in opido cui nomen *Dunechurch*, quaſi venatum profecturi, in gratiam *Euerardi Digby*, vir magnę eo loco exiſtimationis & autoritatis, opinantes hoc modo copijs contractis, vires ſuas ad arma contra Regem ſumenda confirmare: confluente enim vndique multitudine, tumultu ſubitò excitato, omnes aut ſaltem pleroſque meliorem fortunam amplecti velle, at nullo negotio adduci vt a ſe ſtarent; prætereà Dominam *Elizabetham* Regis filiolam in eorum poteſtatem facilè poſſe redigi, cùm in vicinia ageret in ædibus Baronis *Harrington.*

Die ſexto Nouembris, *Catesby*, alijque coniurati *Thomam Bates* properè miſerunt ad *Garnetum*, qui (quod probè norant) pręſtò fuit, in vico *Coughton*, non longè ab ijs diſſito, eius opem & operam obnixè implorantes ad Walliam concitandam, & quamplurimos ad arma contra Regem palam capienda inſtigandos. Quo tempore *Garnetus* & *Greenwellus* (qui tum

ex

ex composito apud *Garnetum* commorabatur) cùm compertum haberent artes suas patere, cùmq; sibi conscij essent se authores & antesignanos huius proditionis esse, certum exitium toti Iesuitarum ordini imminere trepidi denuntiabant; timere se confitentes ne huius horrendi sceleris infœlix successus, totam Iesuitarum societatem dissolueret prorsus & euerteret. Verùm *Greenwell* Iesuita animo magis inflammato exęstuans, huc & illuc quanta potuit celeritate circumcursitabat, quoscunque potuit ad arma induenda concitaturus. Et in domo *Abingtoni*, *Hallum* alterum Iesuitam conueniens, suadet vt sine morâ quamplurimos ad seditionem incitaret; Dum *Hallus* hæsitabat & secum rem diutius perpendere videbatur, siue infœlicem expectans tam temerariæ rebellionis exitum, siue timens ne ipse simul comprehenderetur: *Tesmondus Hallum* improperando phlegmaticum vocitat & addit hinc planè perspici, homo homini quid intersit, sc. inter phlegmaticum (qualem *Hallum* putabat) & cholericum, qualem se affirmabat; quinetiam ait se secum decreuisse olim operam quantum posset maximam ad conflandam seditionem nauaturum sub hoc prætextu, quasi iam exploratum esset omnes in Anglia Catholicos iugulandos: spe certa se hinc complures concitaturum ad bellum, pro salute suscipiendum; & blandiente hac opinione tumidus in Comitatum Lancastrensem se proripuit. Posteà *Hallus* aliàs *Oldcorne* Iesuita, cùm *Humfredus Littleton*, ex infausto successu horrendæ istius proditionis, Numen ipsum iratum ijs esse diceret, & tam cruentis & plusquam barbaris conatibus non obscurè aduersari; cùm iam oportuit eum summa cum animi deiectione iustitiam Dei agnoscere, ar-

gutis huiusmodi rationibus ruinam suam suffulcire nititur. Non debetis ex euentu causam nostram æstimare, vndecim enim tribus Israeliticæ licèt ab ipso Deo iussæ Beniaminitas bello aggredi, bis cladem acceperunt: Sancti etiam *Ludouici* Gallorum Regis exercitus in Saracenos ductus, dissipatus est, & ipse ex peste interijt. Deniq; Christiani Rhodũ propugnantes superati sunt à Turca. Et facta horum exemplorum ad rem pręsentem applicatione, fidẽ fecit *Littletono* non impiam eam aut illicitam esse, quamuis successu caruerit. Aduertamus hinc duo proditionem hanc consequentia; primùm apertam rebellionẽ, quod modò declaratum est, & fusiùs priore Actione explicatum, & post hanc proditionem, blasphemiam in *Garneto* Iesuitarum Superiore. Cùm enim illi in arce Londinensi scribendi copia facta, atq; literas (quæ quidem coram producebantur) ad amicum quendam (in alio carcere qui vulgo *Gatehouse* dicitur) misisset, nihil in illis apparuit, nisi familiaria, de rebus quibusdam ad vsum necessarijs. In margine verò, quam admodum amplam & spatiosam reliquerat, & parte inferiori, vbi charta pura, succo chrysomeli in hunc sensum veteratoriè subscripsit. Innocentiam suam publicandam rogat. Quodammodo tractabatur docet; ibidemque illa ipsa negat, quæ non multò ante liberè & sua spõte fassus erat. Addidit se de coniuratione Hispanica ex Regio Gratiæ diplomate absolutum iri. Quod ad fulminalem illam proditionem, legitima probatione deficiente satis commodè sese euasurum sperauit. Verùm epiphonema plenum blasphemiâ, dignum anathemate eructauit, & verba de nostro Seruatore prolata, iste de se in tam horrenda coniuratione vsurpauit, *Necesse est vt vnus homo moriatur*

atur pro populo: quæ vox Caiphæ fuit de Iesu Christo Seruatore.

Quibus in rebus ipsius præuaricationem & Æquiuocationem quæso aduertite. Coram Dominis Delegatis, verè liberèque coniurationes suas agnouerat, eò quòd (vt ipse manu propria confirmauit) *tanta nube testium* obrueretur; & tamen *ad faciendum populum*, in illis literis quas ipse diuulgauit, sese coniurationis suspitione liberari cupit. Atque hæc de duabus subsequentibus circumstantijs, nimirum Rebellione & Blasphemia dicta sunto.

Circumstantiæ concomitantes duæ sunt, Personæ delinquentes, & Personæ læsæ. Qui primus & præcipuus è delinquentibus pro tribunali præsens sistitur, homo est, vt audiuistis, nominum plurimorum, *Garnet*, *Wallie*, *Darcie*, *Roberts*, *Farmer*, *Philips*; virum sanè probum & fidelem tam multiplici falsorum nominum varietate salutatum rarissimè inueniamus. Patria Anglus, genere clarus, educatione scholaris; postea sub *Tottelo* Typographo, iuris Municipalis prælo Corrector præfuit, ipse iure iam corrigendus. Non infimis naturæ dotibus excultus est, arte eruditus, linguarum vsu peritus, professione *Iesuita*, & in Anglia Iesuiticæ Societatis *Superior*, idq; iure optimo. Omnes enim quotquot ante ipsum fuerunt coniuratione diabolica multis quod aiunt parasangis superat. Iesuitarum Doctor, id est, in quinq; *Dd* magister præcellentissimus, *Dissimulando*, Reges *Deponendo*, regna *Disponendo*, subditos ab officio *Deterrendo*, omnia demum *Destruendo*. Eorum Dissimulatio è doctrina de Æquiuocatione luculenter constat. Qua de re visum est cursim quædam quasi perstringere, quæ copiosè satis in superiori iudicio tractata

ctata, & in gratiam quidem *Garneti* Iesuitarum per vniuersam Angliam *Superioris*. Ea verò erant de Æquiuocationis Tractatu, cùm a *Garneto* tùm a *Blackwello*, Archipresbytero lecto, & approbato, in quo, sub prætextu Propositionis Mixtæ, partim hominis animum articulatè exprimentis, partim animi sensa intus tacitèque implicantis, non solum mera mendacia, verùm etiam execrandæ & ab ipsis Ethnicis amandandæ blasphemiæ populo discendæ propinantur. Sciscitantibus itaque Iesuitis, cur ipsos hæreseos non conuincimus, conuictos de eodem crimine non condemnamus; facilis est responsio, ipsos Æquiuocare velle, neque ex ipsorum verbis & responsis examinari posse aut iudicari.

Quod ad Æquiuocationis antiquitatem spectat, peruetusta quidem est, paulo minùs ccc. annos post Christum enata, ab Arrio hæretico vsurpata, qui cùm à Nicæno Concilio condemnatus, & ab Imperatore Constantino in exilium eiectus fuerat, ad humillimam ipsius petitionem (fide priùs data se fidei Nicænæ subscripturum) ab eodem Imperatore reuocatus fuit. Ille verò domum reuersus, suam ipsius opinionem in charta clam conscripsit, eamque in sinu gestauit. Cùm in conspectu Imperat. Nicęnam fidem sibi propositam videret, interrogatus vtrùm Concilij Nicęni decretis verè consentiat, & in futurum constanter adhęreret? Ille (manu ad sinum admota vbi charta occultabatur) sine mora, alacri promptoque animo coram Imperatore subscripsit; cùm tamen ea quę in Concilio de Fide decisa erant, astutè & ęquiuocè eluderet. Cogitauit enim tacitè æquiuocèque se subscripturum illi fidei quam in sinu gestauit. Isti Iesuitæ verba veritatis lo-

qui

qui nequaquam vouent, & tamen huiusmodi Æquiuocatio & mendacium in illam ipsam castitatem quam vouent peccat; Prouerbij enim locum obtinuit.

Cor linguæ fæderat naturæ Sanctio,
Veluti in quodam certo Connubio:
Ergo cùm dissonent cor & locutio,
Sermo concipitur in Adulterio.

Quique istiusmodi spurios & degeneres animi sui sensus in lucem profert, is certè contra castitatem turpissimè delinquit. Ecce verò miseros & miserandos doctrinæ de Æquiuocatione fructus. *Francisco Treshamo* in Arce Lond. morti suæ naturali iam proximo vt vxor ipsum in solatium inuiseret permissum est. Illa verò haud ignara maritum suum coniurationis Hispanicæ directè & verè *Garnetum* insimulâsse, & verita credo, ne maritus sine morsu conscientię, aliquid de Iesuitarum *Superiori* detexisset, cùm extremum iam spiritum exhalaret, eò adegit, vt cùm ipse præ manu tremula & moribunda scribere non posset, famulum scribere iusserit, quæ ipse dictaret. Quo in scripto seipsum iureiurando obstrinxit, atq; in animæ suæ salutem testatus est se sedecim totis annis iam transactis *Garnettum* ne vidisse quidem, eamque ob caussam, priorem suam confessionem irritam haberi obtestatur. Petit denique vt præsens ista retractatio, hominis infirmi & iam statim morituri manu consignata, post ipsius obitum ad Comitem Sarisburiensem deferretur. Cùm tamen *Garnetus* ipse sese Hispanicæ coniurationis reum palam ac apertè agnouisset, idemque pro tribunal[i] in medio fateatur. Nec non ipse *Vaulx* matrona, alijq; directè fateantur *Garnetum* & *Treshamum* biennio superiori multoties, & ante illud

M tempus

tempus non rarò conueniſſe. Verùm *Qualis vita, finis ita.* Et quidem cùm ab ipſo *Garneto* pro tribunali quęſitum eſſet, quid de tali *Franciſci Treſhami* è vita demigratione exiſtimaret? hoc vnicum reſpondit, Ipſum æquiuocare voluiſſe credo. *Ita inquinati ſunt in operibus ſuis, fornicatique ſunt in factis ſuis.* Reuera igitur Gens iſta perfida eſt, & proinde

Iurat? crede minùs: non iurat? credere noli.
Iurat, non iurat hoſtis, ab hoſte caue.

Quod ad doctrinam attinet de Regibus deponendis, *Simancha* & *Philopater* dilucidè enuntiant (vt & in priori iudicio fuſiùs declaratum eſt, & nunc etiam copioſè ſatis præſente *Garneto* repetitum) Si Princeps ſit hæreticus, *tum quidem excommunicatur, anathemati datur, & deponitur, illius liberi omni ſucceſſionis iure priuantur, ipſe ad dignitatem ſecularem (imò vel ſi reſipiſcat) minimè reſtituendus.* Hominem verò Hæreticum illum nominatim & ex profeſſo intelligunt, qui Eccleſiæ Romanæ religionem non colit. Imò hiſce omnibus & facilior multò & expeditior via Chriſtianum Principem quemcunque diademate ſpoliandi excogitatur, videlicet, *Princeps indulgendo hæreticis amittit Regnum.* Imò vbi *Garnetus* in defendenda Romani Pontificis authoritate nequitier vſurpata, è Decretalibus Nos Sanctorum allegauerit, Titulo proximè ſuperiori, aliud eſt Decretum quod omnia quæcunque demum recitauimus longiſſimè ſuperat. Quo oſtenditur Pontificem Zachariam nullam aliam ob cauſſam ibidem expreſſam *Childericum* Gallorum Regem depoſuiſſe, niſi quòd ad Regnum inutilis haberetur.

Quod ad ſubditos ab officio & fide ſua deterrendos attinet,

attinet, (quod quidem Professionis Iesuiticæ est inter articulos) optandum quidem vt in memoriam reuocare velint, illustrissimos nobilissimosque Angliæ Reges Pontificum Romanorum Bullas (ne quidem in cæcissima Papatus caligine) minimè formidâsse, nempe Edwardum *Confessorem*, Henricum Primum, Edwardum Secundum, Richardum Secundum, Henricum Quartum, Henricum Quintum, &c. Quodque ad nos nostraque tempora propiùs accedit, Henrico VII. regnante, vt omnibus etiam sæculis retrò-actis, Ro. Pontificis Legatus Caletum nunquam pertransijt; verùm ibi hæsit, nec in Anglia pedem fixit, vsque dum se nihil ad Regni & reipublicæ detrimentum machinari velle, Sacramento obligâret.

Quod ad personas læsas attinet, hæ sunt. Primò, Rex, de quo sæpe sed nunquam satis dixi, Rex antiquis illustrissimisque regibus oriundus, virtutibus imperio dignissimis, vtpote religione, iustitia, clementia, doctrina, prudentia, memoria, humanitate & cæteris plenissimè excultus. Secundò Regina, & illa fœlici sua fœcunditate grande huius regni solatium, adeo vt illo Elogio dignissimè celebretur,

Ortu magna, viro maior, sed maxima Prole.

Vtpote quæ Principem enixa est, eorum quos vnquam vidit Anglia, longè maximum. 3. Princeps Nobilissimus, de quo vnà cum poeta concinamus,

Quæ te tam læta tulere
Secula, qui tanti talem genuere Parentes?

Neque vnquam Princeps certus Imperij hæres talem patrem, neque Rex vnquam talem filium habuit. Deinde tota Regia proles, Domini à consilijs sanctioribus Nobilitas, Clerus, imò ipsa hæc quam profitemur religio;

ligio; præsertim verò Ciuitas hæc LONDINVM, diuitiarum affluentia celebris, populi multitudine celebrior (vt quæ supra 500000. capitum millia, intra mœnia pomæriaque numeret) immotâ erga Principem fide longè celeberrima, quodque ad laudis cumulum eminentissimè accedit, ob religionis veritatem, cultusq; diuini synceritatem, præ cunctis ciuitatibus in vniuerso orbis terrarum theatro, supra quàm a me dici potest, nobilitata; Caput tuum attolle (Ciuitas clariss.) & teipsam erige, cuius fronti ne minima quidem labecula, aut suspicio perfidię vnquam fuit aspersa: verè tu illud Prophetę vsurpare potes; *Non ponam ante oculos meos rem impiam quam faciam, odi præuaricationes, neq; adhærebit mihi tale quid.* Ideoque in fidelitatis tuę pręmium, amplissimo *Cameræ Regiæ* titulo, quasi firmissimum Regum præsidium meritò insignita es. Atque vt habeas in quo teipsam soleris, in quo læteris hodie, Magnus Britanniæ Monarcha, celebri hoc magnoque iudicio honoratam te esse voluit. Post tristes illos & luctisonos rumores non ita pridem disseminatos, cùm pro certo Regem esse incolumen cognosceretur, tum certè quidem integerrima huius ciuitatis fides clarè emicuit (cuius & ipse testis oculatus fui) *Vna voce conclamauerunt omnes, salua Ciuitas Londinum, salua Patria, salua Religio, Iacobus Rex noster saluus.*

Obseruanda hîc sunt multa, summatim tamen & vno verbo perstringenda. Primum est: In Hispanica illa coniuratione (de qua superiùs dictum est) & hac nuperrima, ordinem, caussam, finem prorsus eundem fuisse. Ordo erat, primò machinis clandestinis & proditione, deinde vi & armis rem agere. Causa quam obtenderunt, Romana Catholica Religio fuit; Finis

verò,

verò, Regiam ſobolem radicitùs extirpare, imò ipſum *Regnum occidere*, vt Regis regnique memoria vnà excinderetur.

2. Notandum, ipſos etiam hoſtes hanc Remp. ita firmatam & ſtabilitam agnouiſſe, vt neque vis, neque ſtratagemata aduerſus ipſam tantillùm valere poſſint, niſi ſuarum partium fautores in Anglia compareutur.

3. Futurum eſſe, vt Româ in Angliam *Bullæ* Pontificiæ poſthęc non tranſmittantur, quia veriſimile eſt partes ſuas debiliores fore, quàm vt cum tot Leonibus congredi valeant, aut audeant.

4. Omnes ipſorum Canones, Decreta, noua dogmata hæc duo ſpectare; nimirùm ſecularem pompam, aut fraudem ſceleratam; vt Pontificis Rom. autoritas propagetur, & Ieſuitarum, ſacerdotum, &c. ſalus procuretur.

5. Notandum, *Bainhamum* hominem Secularem, ex cohorte execranda (hoc enim nomen ſibi-ipſi impoſuit) ad Papam tanquam ad Principem *Secularem* fuiſſe miſſum, vt ipſum de hiſce rebus certiorem faceret.

6. Ipſorum ruinam & ex Theologiæ & Philoſophiæ placitis imminere iam, imò inſtare video. Circiter 400. ſacrificuli ſacerdotes hoc tempore in Anglia deliteſcunt. In *Iſraele* diebus *Achab* totidem fuere, *Quis* (inquit Deus) *decipiet Achab vt deſcendat & cadat?* Spiritus mendax in ore 400. Prophetarum hoc ſuſcepit, hoc perfecit: Inſtabat eorum ruina cùm primùm ſpiritus mendax ſacerdotes occupauerat (ſecundum Micheæ viſionem) ſicut nunc poſſedit Ieſuitas. 2. Imitatio boni prototypum perquam ægrè & difficultèr exprimit; mali verò imitatio exem-

plar superat. Hoc verò facinus tale est vt tot sæculis iam anteactis, imò & futuris non inuenerit exemplum proinde *Ipsorum dies numerantur.*

7. Multos hoc facinus nunc vitio vertere, qui tamen peractum laudaturi essent, aiunt enim hoc esse è *numero eorum quæ non laudantur nisi peracta.*

8. Ipsos, ipsorumque asseclas falsos rumores disseminare, Regem scilicet de toleranda Religione fidem datam violâsse, quam diuini cultus confusionē priusquàm regno suo ille tolerare velit; liberos, imperium, vitam, omnia libentissimè amitteret. Imò vel inde facilè perspiciant spei nihil hac de re superesse, quòd serenissima Maiestas Regiam sobolem in vera Religione, veroque Dei cultu educandam sedulò curet.

Denique mirandam Dei prouidentiam obseruare debemus in stupenda detectione, istum Iesuitarum *Superiorem*, huiusce coniurationis conscium esse, idque duplici ratione.

Primò, quoad celandi rationem, cum solo *Catesby* homine *Laico* consilia sua impertijt.

Secundò, vtrique, vt occultè rem peragerent, constanterque perseuerarent firmissimo iuramento obstricti tenebantur.

Tertiò, Iurati Sacramentum corporis Christi sumpserunt.

Quartò, Permissi edoctique erant à Iesuitis fidem datam animarum salutē &c. Æquiuocatione eludere. Quo igitur pacto facinus istud dilucere poterat?

Quintò, adeò secretò & latenter egerunt, vt humani ingenij adminiculo inuestigari non potuerint: atq; ideò animaduertendum est, quomodo diuina prouidentia

dentia effectum sit vt coniuratio ista diu abhinc excogitata, frustraretur, dum sæpe & inexpectatò Parlamentum differebatur. Incepit enim Parlamentum die Martij XIX. anno primo serenissimi R. Iacobi, atq; ad VII. vsque diem Iulij subsequentis continuatum est, ante quod tempus coniuratores isti parati esse nullo modo poterant. Ab illo die ad Februarij septimum, prorogatum est, in quod tempus suffodere non valebant, neq; enim in illo loco quoniam pro *Vnione delegati* propè locum illum conuenirent; accedebat ipsius muri crassities non facilè penetranda. Quâ de caussa ante septimum Februarij omnia in promptu haberi non possent. Die verò septimo Februarij vsque ad Octobris quintum Parlamentum prorogatum est. Posteà cùm hâc non successerint, cuniculos agere cessantes, aliam excogitarunt viam, nempe à cuniculis in cryptam se contulerunt. O beatam operis tam nefarij mutationem! at isti fatales Cuniculárij nondum detecti sunt, & tamen omnia ad manum adsunt paratissima. Semel iterum prorogatur, atque ita sanè Deus disposuit cor Regis (ne tantillum quidem hac de re suspicantis) vt prorogationem Parlamenti iteraret. Intellectum porrò Regis ita illuminauit Deus, vt ex subobscura epistola, ille instar Angeli lucis, ad Cryptam quasi digitum intenderet, in illam accuratè inquirendum iuberet, adeò vt facinus istud diuina opportunitate, horis (ante tempus destinatum) non nisi paucissimis detegeretur.

Hæc itaque erit Sermonis nostri conclusio, *Qui cum Iesu itis, non itis cum Iesuitis.* Etenim *corroborant se in re mala, narrant quomodo abscondunt laqueos, dicunt quòd nemo videat eos. Sed Deus sagittabit eos sagitta* Psal. 64. 5. 7

gitta

gitta repentina, fientque in eis plaga repentè. Videbunt
9 *id omnes homines, & annuntiabunt opus Dei, atque factum eius prudenter considerabunt.*

Deinde repetita fuit particularis cuiusque accusationis probatio, cùm ex spontanea *Garneti* & Coniuratorum confessione, tum ex testimonio duorum spectatæ fidei, pro tribunali iuratorum, quos *Garnetus viua voce* loquentes audiuit, neque quicquam esse quod contra illos exciperet, libentissimè agnouit.

HIc Garnetus impetratâ licentia, vt pro *seipso responderet, orationem habuit, & omnia (quantum meminit) obiecta, in quatuor partes ita distribuit.*

De
1. *Doctrina.*
2. *Recusantibus.*
3. *Iesuitis generatim.*
4. *Seipso seorsim.*

De Doctrina duo prosequutus est.

1. *De AEquiuocatione respondit, ipsorum Ecclesiam mendacium quodcunque improbare, præsertim verò in caußis fidei & Religionis, cùm sit illud genus mendacij omnium perniciosißimum: & à Diuo Augustino in Priscilianistis condemnatum. Imò verò quacunque in caussa mentiri, & malum & peccatum esse, vtcunque inter octo gradus quos Augustinus facit, ille reuera gradus infimus habeatur, ita mentiri, vt vni in commodum cedat, quod sine cuiusuis sit incommodo. Illa igitur*

tur quam nos defendimus Æquiuocatio, legitimum quarundam propositionum vsum defendit, mendacijs neutiquam patrocinatur. Fieri enim potest, vt quis ab homine, penes quem nulla sit inquirendi authoritas, interrogetur, aut de re aliqua examinetur, cuius cognitio ad interrogantem minime pertineat: verbi caussa. Quid quisquam cogitat? Quo tempore igitur oportet veritatem dicere, æquiuocare non licet, quòd si secus sit, licet. Atque ita Augustinus in Iohannem. Christus negauit se scire diem iudicij, eo scilicet animo vt discipulis suis reuelaret: atque ita S. Thomas & alij qui hanc rem tractant, præsertim verò sub titulo Confessionis.

2. *De Romani Pontificis in regibus deponendis authoritate, triplicem adhibuit responsionem. Primò quòd generalem Ecclesiæ doctrinam hac de re tantummodo proponeret & sequeretur. 2. Doctrinam hanc de Papæ authoritate à cæteris omnibus Catholicis Principibus sine grauamine esse toleratam. 3. Quod tamen ad seipsum spectaret, in excommunicatione & depositione Principum, inter statum & conditionem nostri Regis & aliorum, qui cum aliquando Catholici fuerint, ab eadem Religione iampridem defecerint, aut posteà defecturi sint, semper se discrimen posuisse. Quod verò ad Si-* mancham *aliosque scriptores attinet, quicquid illi de depositione Hæreticorum definiunt, de illis intelligendam est Principibus, qui Rom. Ecclesiæ fidem professi ab illa posteà defecerunt.*

2. *De Recusantibus. Primùm ab illis peto ne peculiare aliquod delictum aut crimen meum Religionis caussa quoquo modo præiudicet. Deinde verò quod ad illorum ab Ecclesijs absentiam spectat, vbi vrgebat* Attornatus *Excommunicationem & Bullam Pij Quinti præcipuam*

fuisse caussam & fundamentum istiusmodi absentiæ, & propterea nunc liberum esse Catholicis Ecclesias adire, eo quod Iacobus *Rex non denuntietur excommunicatus. Id verò minimè sequi, facilis est responsio. Arriani enim & Catholici eandem in Ecclesijs precandi formam habuerunt, vnà tamen non conuenerunt. Ipse etiam nonnullos noui qui ante* Bullam *istam ab initio Regni* Elizabethæ *vsque ad illum diem communibus Ecclesiæ precibus interesse recusarunt; tametsi fortè Catholicorum plurimi ante Concilij Tridentini conclusionem (vbi hoc à* XII. *viris doctißimis disputatum, & minimè licere definitum fuit) seriò Ecclesias adirent. Atque huic rei occasionem præbuit* Caluinus *ipse, qui Protestantem non modò Missæ nostræ (in qua Idololatriam esse fortasse dicent) sed ne precibus nostris vespertinis interesse, (quæ quidem cum ipsorum precibus prorsus eadem sint) nequaquam licere pronuntiauit.*

3. *De Iesuitis generatim respondit, si qui illorum tam detestandæ Coniurationis conscij esse euincerentur, id quidem esse in hominibus tam sacræ professionis abhominandum. Ipse autem, inquit, cum Iesuitarum nonnullis ea de re egi, qui vnanimes pernegarunt.*

4. *Quod ad meipsum spectat, Tractatio cum Hispano quidem proponebatur. Illa etiam pro pecunia petitio mihi non ignota, quam tamen animo meo ijs vsibus semper destinaui, vt egeni Catholici subleuarentur. Cùm autem in Hispania essent, de parando exercitu consilium cœperunt, quam rem cùm mihi communicarint improbaui certè, addidique, id etiam Romæ summopere improbatum iri. Fatendum quidem est, me ista celâsse exemplo Christi, qui iubet* si frater deliquerit, corripere, si enim ad se redierit, hominem lucrati sumus.

Et tamen vltro fateor leges quæ eiusmodi celare prohibent apprimè esse iustas & salutares, neque enim Principis salus ab alterius conscientia pendere debet. Ita persuasum habeo, si mihi auscultassent, melius cessisse. Quæ verò ipsorum sententia, qui sensus fuit in exercitu comparando, prorsus nescio. Præterea in mandatis habui a negotio illo abstinere, imo ab illa ipsa pecunia pro pensionibus missa, tametsi ad titulum ipsius Regis defendendum fuerat.

Hic sciscitabatur Comes Salisburiensis, ad cuius Titulum defendendum? Comes Sal.

Respondit Garnetus, *scilicet Regis Hispaniæ Titulum.* *Garnet.*

Quæsiuit ab eo Comes Northamptoniæ, cur seipsum huic negotio non opposuit, cur non prohibuit, quandoquidem penes ipsum erat? Etenim, *Qui cum posit non prohibet, iubet.* Comes Nor.

Respondit Garnetus, *sibi id facere non licere; Quod verò ad literas missa & in illis quosdam commendatos attinet, se illud crebrò fecisse fatetur, prout ipsi commendabantur, neque tamen eorum consilia, aliquando ne personas quidem ipsi esse cognita. Etenim* Wrightum *in cuius gratiam scripserat omnino ne de facie quidem nouisse.* *Garnet.*

Hîc Comes Salisburiensis. Iam tandem (inquit) necesse habeo in mentem tibi reuocare, quàm parum ad institutum tuum tua responsa faciant, eò quod machinationes tuas cum *Baynhamo* eo tegeres velo, vt videri velis te Romam eum misisse, ad inhibitionem contra coniurationes procurandam; & tamen tute ipse scis, plagam infligendam esse necessariò, antequam ad conspectum Papæ venire posset (talis erat ad præuertenda mala & zelus tuus & illius festinatio) erat enim circiter Comes Sal.

xx. Octobris stylo nostro cùm Florentiam, Romam versus, pertransiret.

Garnet.

Ad hac leuem adhibuit Garnetus *responsionem. Pergit autem in purgatione sui-ipsius, eo quod literas misisset in quibus illorum quamplurimos commendarat, de quibus prius accusatus fuerat; itaque fassus est se per literas suas* Guidonem Fawkes *commendasse, scilicet vt in Belgio stipendia faceret; aliud vero quicquam ipsum conari non præsensit. Quæ vero aut* Edmundus Bainham, *aut* Catesbeius *proponebant, sigillatim non cognouit. Vnicum meminit quod superius contra ipsum prolatum, nimirum,* Catesbeium *ab ipso in genere quæsiuisse, vtrum insontes vnà cum sontibus trucidare liceret. Quam ego quæstionem* (inquit Garnetus) *primo putaui otiosam, quanquam postea ipsum aliquod monstri alere reuera suspicarer. Atque hinc paucis post diebus* Garnetus *literas Roma accepit ad seditiones quascunque, a Catholicis conflatas, quæ pacem publicam violare possint, maturè prohibendas. Literas hasce* Garnetus Catesbeio *communicauit, addiditque ipsum, si nolente Papa procederet, omnino nihil effecturum;* Catesbeius *vero abnuit, inquiens se Papæ voluntatem ab ipso audire nolle. Et tamen illas ipsas literas generales quas Roma acceperat* Catesbeio *ostendit. Hic verò respondit quod & Papæ &* Garneto *ipsi (modò auscultare vellet) particularem machinationis suæ narrationem faceret; quam quidem postea fecit, verùm* Garnetus *audire renuit, & semel atque iterum vt de incepto suo Papam certiorem faceret, efflagitauit.*

Cùmque Edmundus Baynham *(vti præ se tulit) in Flandriam stipendium meriturus proficisceretur, visum est* Garneto *ipsum ad Papæ ibidem Nuntium mittere, alijsque amicis suis commendare; vt ipsum scilicet transmitterent*

mitterent ad Papam de Catholicorum in Anglia statu deplorato informandum; eoque magis vt Papa ab homine laico *rerum omnium conditionem intelligeret; atque vt ex altera parte* Baynhamus *Papam consuleret, quam viam Catholicis in Anglia ineundam censeret, quo sibi suisque commodis prouiderent; hoc vero semper* Baynhamo *inculcauit* Garnetus *vt ad Papæ Nuntium, ea de re, nominis sui mentionem omnino faceret nullam.*

Tum vero citabantur duo testes fidei vterque imprimis spectatæ, qui colloquium Garneti *&* Halli *Iesuitæ clancularium audiuerant; nimirum* Fawsett *vir doctus & Eirenarcha, &* Lockerson. Fawsett *nondum comparens accersebatur, interea* Lockerson *secundum formam, coram* Garneto *iuratus, fide sua data asseruit se* Garnetum Hallo *hæc verba loquentem audiuisse.* Precationem meam de fortunato successu actionis magnæ in initio Parlamenti mihi obijcient, nec non versus illos in fine precationis additos.

Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Vt Christo laudes debitas
Persoluamus alacriter.

Verum quidem est *(inquit Garnetus)* me de prospero magnæ illius actionis euentu preces obtulisse; dicam tamen eo animo sensuque illud me fecisse, quod seueriores quasdam leges contra Catholicos eo tempore promulgandas subuererer. Atque hęc responsio commodissimè satisfaciet.

Garnetus retulit, nolle se duos illos viros claros qui colloquium sub-audiuerant, periurij insimulare, quod viros probos esse agnosceret; existimauit tamen nonnulla aliter ac prolata fuerint auditu accepisse, tametsi quoad rem ip-

sam vltra citraque ipsorum relationem veram fateretur. Agnouit praeterea se de summa machinatione, a Greenwello *omnia speciatim audiuisse;* Greenwellus *enim animo perturbato auidoque aliquid detegendi, quod* Catesbeius *vnà cum alijs moliretur, ad ipsum venerat. Huic respondit* Garnetus, *se quidem ab illo quid rei esset libenter accepturum; verùm ea lege, vt neque* Catesbeius, *neque quisquam alius se consiliorum participem esse factum cognosceret. Placuit conditio, atq; Pater* Greenwellus *machinationem integram in particulari ei aperuit, quam cum audiuerat, seipsum grauissimè fuisse discruciatum, noctes insomnes duxisse, vt successu careret, subinde precibus apud Deum egisse constantissimè affirmauit.*

Comes Sal. Ad hoc Comes Salisburiensis, operæ-pretium, inquit, futurum est si *Garnetus* deuotionem eâ in re perspicue dilucideque demonstraret suam; quod si secùs fecerit, illud in mentem ipsius necessariò redigendum esse, ipsum coram Dominis Delegatis confessum fuisse se de machinatione illa impedienda sacrificia Deo obtulisse, cum hac tamen cautione (nisi ad Catholicorum caussam valde faceret.) Neque hercle alio nomine (inquit Comes) hæc Respub. tibi *Missas* & *oblationes* tuas acceptas debuit. Addidit porro; se mirari cur ad ipsius Generalem *Aquauiuam*, tam de ista coniuratione in particulari, quam de rerum leuiorum prohibitione non scripserat.

Garnet. *Garnetus languidè respondit, sibi non licere ista alicui reuelare, Arcanum enim erat Confessionis, & quamplurimos in extremum capitis discrimen adduceret.*

Comes North. Ad hoc Comes Northamptoniæ, illam ipsam, inquit, Confessionis materiam quam non ita pridem ad aliorum vitam seruandam reuelare noluit, nunc denuo

reuelat vt in periculum præcipitet suam, & proinde priorem ipsius responsionem futilem fuisse & friuolam.

Tum verò Garnetus *Dominis Delegatis affirmauit se quidem* Greenwello *in mandatis dedisse vt* Catesbeium *ab incepto dissuaderet, quod & factum esse arbitratus est. Quod si die festo omnium Sanctorum* Catesbeius *ad ipsum venisset, se tantum apud illum autoritate valere putauit, vt persuasus ab incepto destitisset.* *Garnet.*

Quî fit, inquit Comes Salisburiensis, vt *Catesbeium* singulas Coniurationis particulas narrare cupientem audire nolueris, si illam præuertere volueris? Com. Sal.

Ad hæc Garnetus, *postquam* Greenwellus *ei narrauerat quid esset quod* Catesbeius *moliretur, simulque in memoriam reuocarat quid ipsi* Catesbeius *dixerat, cum primò verbis in generatim conceptis ea de re egisset, se animo quasi attonitum fuisse, sibique tantopere displicuisse facinus, vt ægrè in posterum vel nominari tulerit.* *Garnet.*

Euge, inquit Comes Salisburiensis, animum hominis intus iam perspicitis, atq; ad Dom. Delegatos conuersus, veniam sibi dari postulauit, vt paucula intersereret de procedendi ratione, qua in caussa hac grauissimâ à principio vsque ad illam ipsam horam semper vsi erant, quibus præmissis ita incepit. Quanquam ab *Attornato* argumenta & probationes tam accuratè distributa, tamque perspicue enucleata fuerint, vt tantam materiæ congeriem aut succinctiùs contractam, aut iuratis (quos alloqui non existimauit esse suum) luculentiùs demonstratam nunquam audiuisset; neq; in animo habuerit cum *Garneto* in Theologia, aut in doctrina de Æquiuocatione agere, In quarum posteriori quam strenuum athletam se gesserat, libens agnouerit. Com. Sal.

nouerit. Cùm tamen ipse ad hanc caussam vnà cum cæteris delegatus fuerit, quibus post Dei Optimi Maximi gloriam nihil est antiquiùs, quàm omnibus & singulis, quanta & integritate & moderatione vsa erat per omnia Regia Maiestas demonstrare; ausurum se aiebat de modo & loco constituto illius iudicij nonnulla commemorare. Quod ad primum. Cùm, inquit, nihil sit cui hæc nostra Respublica infinita, quibus ipsam diuinum Numen cumulauit, beneficia, potiùs accepta ferret, quàm protectioni syncerae illius religionis quæ tamdiu sub acerbissimis hominum Iesuitizantium tormentis ingemuerat, maximo sibi honori esse libens fatetur se vnà cum tot proceribus honoratissimis pro Iustitiæ tribunali assidere, vbi ad Dei caussam tantus honos ex infamia *Garneti* redundaret, in quem publicus hostis vsurpationem tam eminentis Iuris-dictionis conferre destinarat. Alioquin quis ignorat *Henrici Garneti* misellli hominis conditionem, ordinariam iudicij formam, alioque in loco inferioris notæ & nominis subire potuisse. Atque hinc arrepta occasione Comes pios Principis affectus erga Ciuitatem Londinum explicandi. Eam Regiæ Maiestati tam charam esse, Regemque de ipsius honore & solatio adeo sollicitum esse demonstrauit, vt oblata hâc opportunitate, qua conspicua quædam Papismi Anatomia fieret, e cuius fonte coniurationes istæ scaturiunt; commodissimum theatrum putaret Ciuitatem Londinum, quæ non solùm rectissimè *Camera Regia* nominatur, verùm à Rege maximum tutissimumque ipsius Gazophylacium habetur, qui quidem nullas diuitiarum copias Subditorum amori conferendas putat, libentissimeque agnoscit, tam ingentem fidelium

Subditorum

Subditorum numerum pari mœnium ambitu nusquam gentium contineri. Cuius & ipse inter reliquos testis oculatus fuerat post obitum Elizab. fœlicissimæ memoriæ Principis, cum ille ipse quamplurimos huius Regni proceres, & Dominos à consilijs sanctioribus (qui quidem non exiguo Nobilium & Generosorum numero stipati erant) comitatus, omnes illos introitu intra Ciuitatis portas eousque prohibitos viderat, donec publice & vna voce se cum Rege nostro Serenissimo victuros & morituros declararent. Ad te igitur *Garnete*, inquit, mea se conuertet oratio, in te enim luculentissimè constat, quàm horrendæ coniurationes sub Religionis integumento nefariȩ delituerint, quod ante hoc tempus, vel nude affirmâsse, Protestanti, profecto fuisset crimen læsæ Maiestatis. Ea calumniantium linguarum iniquitas fuit, qui veritatem mendacij arguere, semper improbè sategerunt. A quibus calumnijs mendacio impudentiaq; plenis adeò sollicitè cauet hæc Respub. vt tute ipse *Garnete* testimonium perhibere possis, te ab illo tempore quo primùm apprehensus es, ad hunc vsque diem tam Christiane tam benignè, tam lautè & liberaliter acceptum fuisse, vt nemo cuiuscunque demum conditionis & professionis fuerit, aliquid ampliùs desiderare possit. Imo vera fronte affirmari potest pendenti à nutricis vberibus infantulo, neque de salute, neque de cæteris rebus necessarijs meliùs vnquam prospectum fuisse. Verum ne hoc, inquit Comes, quod assero, annon? ipse dixeris.

Verissimum (honoratissime Comes) inquit Garnetus, & agnosco.

Age igitur, inquit Comes, si miranda tua de Æquiuocatione doctrina, & obfirmata tua peruicacia in sin-

gulis obstinatè negandis perpendatur, minimè obliuiscendum est in eo *Dei digitum* apparuisse, quod tuum cum *Hallo* colloquium subauditum fuerit; hinc enim Dominis Delegatis lucis & probationis aliquid contra te vltro oblatum est, quod alioquin exquisitis tormentis necessariò erat eliciendum. Atq; hoc quidẽ in alijs regnis esse receptissimũ, hìc vero in re præsenti minimè factum. Verùm ita initam esse rationem in honorem huius Reip. optimè cedit, ita enim ipse loquebaris, tibique visum est ad extremum vera dicere, cum *tanta nube testium* teipsum obrutum videres. Quare mihi ad veritatem persuasissimum est eadem opera fateri voluisse te actionis totius fuisse architectum ac Occultatorem, nisi Regiæ Maiestati & Delegatis placuisset spontaneam tuam confessionem potius admittere, quàm membrorum distensione aut istiusmodi in eculeo quæstionibus aliquid extorquere. Iamque *Garnetum* compellans, inquit: Quid quæso *Garnete* animum addidit *Catesbeio* vt in incepto pergeret, nisi tua primæ propositionis confirmatio? Quid *Fawkesum* confirmauit nisi argumentorum *Garnetti* explicatio per *Catesbeium* facta? Etenim demonstrari potest cum ex *Winteri* tum ex *Fawksi* confessione articulum illum authoritate optima *Catesbeio* fuisse confirmatum.

Ad hæc respondit Garnetus perperam egisse Catesbeium, *quòd ex ipsius verbis eiusmodi sensum elicuisset.*

Comes Sal. Ad hæc Comes Salisb. Necesse habeo illam qua fretus est confidentiam, quaque (negando omnia) auditoribus satisfacere videre voluit, excutere, in mentem illi reuocando, quod post ipsius *Halliq;* colloquium,

um, coram Dominis Delegatis & ab eo non quid dixerat, sed vtrum nec non *Hallum* conuenerat, quæreretur, rogatus sine æquiuocatione respondere, quàm pertinaciter (animæ salutem testatus) negauit, idque tantis & tam horrendis execrationibus repetijt (inquit Comes) vt audientium animis grauissimum inflixisse vulnus videretur. Et tamen quamprimùm *Hallus* ipse fassus fuerat, erubuit *Garnetus*, misericordiam implorauit, se deliquisse agnouit, nisi ipsum *Aequiuocatio* tueretur.

Ad hæc respondit Garnetus: *Cùm quispiam a magistratu interrogetur, magistratui respondere antequam testes producantur, minimè tenetur.* Quia nemo tenetur prodere seipsum. *Atq; in protestationem beneuolentiæ suæ erga Maiestatem regiam incidens, & admonitus illius responsionis quam de Regum excommunicatione fecerat, in qua ad Canonem* Nos Sanctorum *seipsum retulit; Iacobum Regem nondum excommunicatum esse succinctè respondit.*

Rogauit Comes Salisb. vt aperte & sine fuco ageret, (id enim in præsenti maxime opportunum) hoc posito, quod Papa *per sententiam Orthodoxam* Magnæ Britanniæ Regem excommunicaret, putaret ne subditos ad obedientiam præstandam obligatos?

Ad quod obmutuit *Garnetus*, vnde quid in hominis mente delitesceret, auditores facile perspicerent.

Ab hac re transitione vsus, obsecrare cœpit quandoquidem fassus fuerat, se duo *Breuia*, aut *Bullas* a Papa regnante *Elizabetha* accepisse, quorum authoritate Catholici successori alicui (qui morem Romanæ Ecclesiæ non gessit) adhærere prohiberentur; vt Regia Maiestas illud benigne candideque interpretari vellet:

O 2 perpaucis

perpaucis enim Catholicis Reginæ tempore illa *Breuia* ostenderat, cumque Papæ sententiam mutatam esse intellexerat, illa in ignem coniecit.

Ad hoc responsum est, verisimile esse Papam tum demum sententiam suam mutâsse, cùm Rex securè in suo solio sederet, & *Garnetus* cum sui similibus propriæ impietatis stimulis vrgeretur. Atque hinc, vt *Catesby Percio* prædixerat, consilium ineunt de coniuratione ista quæ vno temporis momento omnia consummaret.

Nonnulla hîc interseruit *Garnetus*, se coniurationi per puluerem fulminalem haud-quaquam assensum præbuisse.

Comes Sal. Cui respondens Comes Salisb. inquit, *Garnete*, Te coniurationi isti minime consensisse vel ex vnico præter simplicem negationem tuam argumento, quod cuiuspiam quoquo modo affecti mereatur fidem, velim vt expedias. *Garnetus* autem ne verbum quidem.

Attornatus Generalis, vt sigillatim *Garneto* responderetur hunc in modum verba fecit. 1. Quod ad Æquiuocationem; verum quidem est, specie tenus mendacium & periurium condemnare videntur, quod si secus fecerint, ipsorum scelera essent in medio posita, omnibusque essent exosi. Verùm quæ condemnant mendacia periuriaque aperta sunt & hiantia; mendacia autem secreta, periuria clancularia, falsa testimonia, (quæ maxime detestanda) quæque neque defensionem neq; exemplum habent, approbare videntur. Quod si in alijs vt plurimum non probent, at in semet-ipsis & sui similibus atq; secum coniuratis & probare volunt & defendere; presertim vero cùm ad conatus suos perficiendos illis vsui & adminiculo esse possit. 2. Quod attinet ad

ad importunam & violentâ tyrannide sibi arreptam, in Regibus suo solio deturbandis Papæ potestatem, neque est vniuersale Ecclesiæ iudicium ab omnibus receptum, vt ipse asserit; nec omnes Principes, alioquin Romanæ fidei acerrimi patroni, æquo animo pertulerunt, vt legenti facilè apparebit ex Tractatu Gallico Gallorum Regi dicato, de Iesuitica societate, intra regni Gallici terminos non re-admittenda. Quod autem Iacobum Serenissimum Regem nostrum ex hoc numero insinuando eximere videri velit; nunquam poterit iniectos illius Distinctionis Pontificiæ laqueos declinare, quin *De iure*, etsi *non de facto*, Communione Ecclesiæ abscindatur; quanquam & ipsi penitus habeamus cognitum, Papam quotannis solere semel omnes omnium gentium hæreticos *de facto* Anathematis sui fulmine ferire. Vbi verò illorum factum, qui publicos Ecclesiæ nostræ congressus auersantur, longè petitis Catholicorum exemplis tueri conatur, vt qui Arrianorum Liturgiæ, ac officijs in templo sacris se noluerint immiscere, præcipuum (si quis alius) Christianæ religionis articulum funditus obruentium; ad rem haud quaquam facit. Nec quidquam ijs nobiscum obtingit simile, quibus nullam, vel ipsi aduersarij tam horrendæ impietatis blasphemiam aspergere possunt, nec vel comminisci quidem. Quòd ait *Garnetus* se probe nosse quosdam, qui Pontificis Bulla nondum audita, templa nostra adire noluerint, suam fortasse obtinet veritatem in vno & altero, ijsdem quibus ipse, Pontificijs artibus auocato. Cæterùm in eo quod Synodus Tridentinæ proferat sententiam, ac si per illam tota controuersia esset definita, atque inde concludat, vt primùm Concilium est ad exitum perductum, singu-

los Romanè Catholicos, Anglicanæ Ecclesiæ precibus pro more interesse protinùs recusasse, perperam hallucinatur; Vltima enim illius Concilij Sessio, Anno Salutis 1563. habita est, qui *Elizabethæ* Principis numeratur quintus, cum & ipse antè demonstrauerim, & firmissimis argumentis probaturum in me recipio, Nostrates Catholicos, rei diuinæ celebrandę, in templis frequentes interfuisse, vsque ad Annum Reginæ *Elizab*. decimum nonum, qui illo Concilio annis aliquot erat posterior.

Ipsius *Garneti* personam quod spectat, vbi primùm respondet, coniurationem illam de sulphureo siue fulminali puluere, auriculari Confessione sibi fuisse cognitam, in eiusmodi negotijs locum habet, *Quæ non laudantur nisi peracta*: aliter enim (vt primò occurram) *Greenewelli* Confessio non erat Sacramentalis, quia Confitentem non pœnituit; imò ipsius suo chirographo apertè significauit, hanc machinationem sibi communicatam non vt aliquod crimen, quod reprehenderet; sed de exequendi ratione suum consilium adhiberet. 2. Res erat inter deliberandum diu & variè agitata, nec dum peracta. 3. *Greenwellus* nihil aperuit de seipso tanquam authore, sed de *Guidone Fawkes*, *Percio*, *Catesbeio*, *Wintero*, & reliquis, qui cùm non essent Confitentes, eos saltem palam detegere ac proferre debuisset. 4. Ad statum Reip. incolumem seruandum, vt potuit, ita eum oportuit, ipsum facinus indicare, etsi nomina silentio præterijsset. 5. *Catesbeius* rem ei vniuersam exposuit extra Confessionem, cùm diceret. Sibi pariter licere Regem regno iam eijcere, atque ante exclusisse. Vtcunque demùm se res habuit, *Crimen* cùm esset *læsæ Maiestatis* iure municipali

debuit

debuit in lucem proferre. Vbi vero negare non erubescat *Garnetus* se primarium istius Coniurationis extitisse authorem & architectum, tantumque tale quidpiam fando accepisse: contrarium prorsus meridiano sole clarius est, cùm ex sua ipsius confessione, quam præ manibus habemus, agnita, tum ex eo confirmatur quod *Catesbeio* animum induxerit, & licitum & meritorium esse, & pro fausto successu apud Deum frequenti voto egerit. Quod profectò aliud & multo est atrocius, quàm si nefarium istud tantummodo inijsset consilium aut assensum præbuisset. Velim prætereà vt illud in mentem reuocet: *Qui non prohibet quod prohibere potest, consentire videtur*. Potuit *Garnetus* (quod minimè præstitit) *Greenwellum* de sulphureo puluere colloquentem authoritate sua ab incepto opere abducere: quod tamen *Greenwellus* ad quandam indies maturitatem perducere est molitus, eoque tandem patefacto rus proficiscitur, vt seditionis faces accenderet, populumque ad arma in Regem excitaret; quod sine dubio nunquam fecisset, si *Garnetus* prohibuisset. Adeo (inquit) Oratoris illud commodè possim vsurpare: *Cùi adsunt testimonia rerum, quid opus est verbis?*

Addidit prætereà *Attornatus Regius Garnetum* primo literas suas transmisisse in gratiam *Thomæ Winter*; deinde pro *Christophero Wright*, tertio pro *Guidone Fawkes*, tum pro Edmundo *Baynham*, demum verò pro *Catesbeio*, vt Equestri turmæ præficeretur: *Garnetum* porro *Infanta* deuotum suis *Breuibus* in vulgus sparsim disseminandis, secum animo versari, quo pacto Regi aditum intercluderet, nisi priùs intra sui imperij fines, Romanam fidem tolerando admissurum se ac

defensurum

defensurum iuramento solenni obstringeret.

Attornatus de clandestino *Garneti* & *Halli* colloquio dicere aggressus, asseruit illos tot verbis vltro citroque habitis, ne quidem Deum nominâsse; sed vt primùm conuenere, priùs *Hallum* verba facere exorsum, quem deinde *Garnetus* ita excepit. Quendam sibi in suspicionem venire (cuius nomen commodè audire non poterant qui huic excipiendo sermoni clam erant constituti) per quem contra ipsos aliquid in publicum emanârit; aliter tamen fieri posse dixit, Agnouit enim se suspicionibus plùs nimio indulgere. Schedulam quandam à *Rookwoodo* ad se datam fuisse refert, qua certiorem eum fecit, *Greenwellum* mare transmisisse,& alteram vnde sciret *Gerardum* ad Iesuitam *Parsonum* mutato solo commigrâsse; Dominam *Annam* (scilicet *Annam Vaulx*) in vrbe etiam adhuc morari. Multa etiam alia eodem colloquio inter se contulerunt.

Aderat iam *Forsettus* qui iuratus asseruit vniuersam Examinationem modò exhibitam, resq; in ea memoratas esse veras;adiecit prætereà & ipsum & *Lockerum*, quanta fieri potuit diligentia,ac bona fide,quæ ex *Garneto* & *Hallo* audiuerant,adnotâsse,in examinationibus nihil mandâsse scripto, quàm illa solùm de quibus vtriusque codicis consensus & tenacissimæ memoriæ in vnum conspirarunt, nonnulla autem maioris momenti in Examinationibus fuisse omissa in quibus ipsorum notæ non vndique conuenirent.

Altera literarum quæ vino Hispanico conscripta in medium fuit prolata, vnde constabat manifesto *Garnetum* & *Hallum* ad occultum hoc colloquium furtim conuenisse. Cùm *Attornatus* Regius diceret necessarium

rium hunc esse legum ferendarum & Iustitiæ finem, *vt pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat*: atque vrgeret simul Æquiuocationem *Garneti*, qui apertè est professus cùm *Tesmondus*, aliàs *Greenwellus*, ei retulisset de horribili infernalis illius pulueris fragore, quis *Protectoris* officio fungeretur, addidisse etiam, Proceribus regni tunc superstitibus fore liberam eligendi optionem. *Attornatus* deinde alias vino scriptas Hispanico indicauit, ad *Sayerum* missas (alio nomine *Rookwood*) Presbyterum tum custodiâ apud *Gatehouse* detentum. Sed de hoc ante vberiùs est dictum.

Hîc *Attornatus* seriem orationis suæ amputauit, cùm Comes Northamptoniæ *Garnetum* hunc in modum affatus est.

ETsi mortalium reperiatur nemo, qui quàm ipse, minùs libenter, cuiuis sub imposita grauissimę calamitatis mole ingemiscenti, in tam immenso malorum cumulo, vel tantillum oneris adijceret, & *Grauatis* (quod aiunt) *adderet grauamina*, cuius meæ innatæ mansuetudinis testes oculati adsunt plurimi: vt tamen *Garnete* hodie agitur inter Regem mihi religiosissimè obseruandum, ex cuius *spiritu* (vt ille scitè refert de Alexandro) *nos omnes spiritum ducimus*; & te, qui animo tam sedato & alacri, coniurationi huic latiùs in dies per incrementa quædam grassanti viam aperueris, vt idem ille intercluderetur spiritus ante illum diem, quem Deus, Naturæ ordine, cælitus præfiniuit, inter ipsius Maiestatem & tuum errorem, æquabilem illius in administrando moderationem, & ementitos tuos colores, illius integritatem, tuamque vmbratilem illam sanctitatis speciem. Cuperem sanè vt ex ore cuiuspiam alterius conditionis & ordinis, elumbia tua responsa denuò resonantia posses audire vt rectiùs & æquabiliùs de te & tui sceleris atrocitate statueres, Comes North.

quàm hactenus statueris aut metu distractus, aut præiudicio abreptus, aut (vt tecum loquar, qui verbis ad causam aptioribus vti nequeo) *tanta nube testium es oppressus*, qui vno ore, vno animo te audaciæ conuincunt proiectissimæ.

Libens agnosco, neminem vnquam tanti reum sceleris, sibi consultius prospexisse, ne quam vel minimam enucleatè probandi materiam & quasi ansam nobis ad hoc Delegatis præberes, nunc peierando, primùm cùm de confessione Halli tui esses interrogatus, tum nugatoriè dissimulando cùm quæreremus de loco congressus vestri (in morem vanelli qui longissimè à nido lugubrius vocem edit) hîc acriter expostulando, illic solertissimè æquiuocando, artificioseq; omnia conuoluendo; Nihilo-minus ad manum *sat superest*, quo confutatas tuas technas facile excludamus, & Regiam Maiestatem suę dignitati sartam tectam conseruemus; *Quia magna est veritas, & praeualet.*

Illæ dotes tuæ præstantiores, si in naturâ seorsim suâ expenderentur, misericordiam potius commouerent, quàm humanitatem exacerbarent. Quotum enim quemq; non ad placabilem quandam animi facilitatem redderet propensum tanti viri interitus, si vultum intueamini & gestum, summâ cum moderatione, & solido iudicio? Quibus tamen singulis hoc in tempore postpositis, in id vnum cum Decio illo Liuiano toti incumbimus, vt *quem vos obrutum reliquistis ignem*, qui velut ex apparato, *nouum aliquando daret incendium*, opportunè extinguamus. Quapropter ne ego videar inani verborum strepitu *aerem verberare*, tuas ad illa, quæ solidissimè obijciuntur, solutiones, excussâ Sophisticæ captionis laruâ, vt præiudicijs ora obstruantur, & rumores qui emanarunt in vulgus, consopiantur, enitar quantum potero, ad veritatis & rationis trutinam examinare. Quid enim aliud sunt omnia responsionum tuarum diuerticula, & elabendi artes adeo affabrè confictæ, quàm vt ille olim Caupo de suis, quæ parauerat, esculentis, coram hospitibus liberè est confessus, tantam ferculorum diuersitatem mirantibus, (Ex suillâ quidem carne constare omnia, sed ad speciem variè

riè interpolata ;) vtcunq; artificio velut culinario eadem accuratissimè concinnaueris.

Binæ illæ Papales *Bullæ*, (quo nomine Tauros nostra lingua vocamus) regnante dudum Elizabetha, in hanc Insulam transmigrabant, vt mugitu suo vitulos ad vnum omnes conuocarent, qui Regina ad suam senectutis vesperam appropinquante, iunctis viribus agmen instruerent, tuis Garnete pascuis sunt saginati, vel (quod dicam verius) quia in publicum prodire, nec lucem conspicere auderent, etiam te fatente, ad præsepe tuum vescebantur. Igitur *serue nequam, ex ore tuo te indico.* Et qualem (quæso) iam meditaris responsionem ? scilicet consilium cum paucissimis fuisse communicatum ; At tanto sanè perniciosius, quo enim plures sunt consilij participes, eo latius subinde serpit & patet ; Testis tamen Experientia satis sit ipsa locuples, quos haberi tu cupis perpaucissimos, seditiosorum omnium fuisse primipilos, qui si tranquillius paulò & moderatius tempus expectassent, & homines nimium efferati se ipsos aliquanto diutius cohibuissent, in nupera hac fuliginosæ Tragœdiæ Catastrophe, partes sibi palmarias vindicassent. Bullas siue Tauros illos ais te authore, vt victimas ad ignem esse immolatos : non prius tamen quàm bonus ille Regis Iacobi Genius illis iugula præcidisset, & vis propè maxima earum emortua iam tandem in fumos abijsset, & prçclusa probabilis de futuro subsidio expectatio spem omnem penitus præcidisset. Cui enim vsui elingues istæ belluæ vobis esse poterant, vt certissimum & exploratissimum Regi titulum intercluderent, quem cœlum multo ante designauerat, orbisq; terrarum confirmauerat ? At quid istis immoror, qui causam ipsam & fundamenta intueor ? Ego valde miror quis te instituet Apostolus, moliri iniquissima, vt inde bonum eueniat ; interea nihili facientem quid omnia omnium gentium iura & supra omnia, ea potissimum quæ domi nostræ sunt sancita, quid demum vniuersi populi & Respublicæ de illorum senserint perfidia, qui veteratorijs hisce instructi artibus, id vnum meditentur, vt futuras Imperiorum successio-

 nes,

nes, hæreditario iure debitas intercidant.

Cùm literis illis vrgeris, propriâ conscriptis manu, & per *Thomam Winter*, ad *Patrem Creswel* datis, qui ad expugnandam hanc Insulam tum temporis omnem nauabat operam instruendo exercitui, & pecuniæ in commeatum & militum stipendia comparandæ, quo magis expedita & facilis nostro tincta sanguine triumpharet laniena, refers tu fuisse quidem viros commendatam, non tamen coniurationem.

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Quasi verò aliud internuncius, præter ipsam coniurationem, in isto legationis officio, sibi habuerit demandatum! ac si tu Garnete tum *Magister in Israel & Rector chori*, aut voluisses profectò, aut quid illi molirentur, potuisses non intelligere; ac si probabile cuiquam esset virum ea authoritate & merito (quali inter ipsos haberis) schedulis omnino puris tam pueriliter chirographum affigeres, quodque superfit reliquum, hominis tam furiosi animo inflammato, & arbitrio committere: Quasi in ista (quam nunc premo) accusationis particulâ, peculiares aliorum confessiones (vt tuam tacitus præteream) vestigia haud leuiter impressa, sed ob oculos illustria, non posuerint, quæ tuam (ne fraudi nobis esse posit) futilem in comminiscendo vanitatem, vel sibi ipsi variè repugnantem, apertissimè loquantur. Coniurationem fuisse initam, eamq; te non latuisse fateris liberè, sed non ad conscribendum exercitum: tibi dicis compertum, quòd pecunia sit eroganda, sed quæ (vt tu scilicet opinando es assequutus) subleuandis Catholicis tota insumeretur. Ita *Catesbeius*, *Winterus*, cæterique eodem coniurationis fœdere deuincti, istam necesse est suæ reticentiæ obtendant rationem, quia tui erga Principem Elizabetham studij & fidelitatis eos peruaserat coniectura; Aliter enim certò sum persuasus, vt exequendi modum, ita quem potissimùm spectarent finem; tam spei firmamenta, quàm sociorum nomina eosdem voluisse in perspecta toties integritate tua non hæsitantèr deponere: cùm præsertim animis secum ipsi recolent, quàm fuerit arduum & difficile, adeo vastæ suæ cupiditatis compotes

potes euadere, nisi tu & authoritate & industria tua promouisses.

Aliquanto pòst *Wrightus* eodem prorsus modo, & pari celeritate, tuis literis in ipsius gratiam conscriptis, in exteras ablegatur ditiones, qui susceptū priùs à *Wintero* negotium strenuè sustineret, quod nunc humi iacere & animam quasi trahere inceperat, (ex quo languidius & remissius Hispanorum ingenium, conditiones pacis contrahendæ obtulit) vt nullam temporis iacturam pateretur, nullum non moueret lapidem, qui ictu suo collisam florentissimam huius politiæ concordiam violaret. Quæ fuerint huc delata sanciendi fœderis postulata singula ad tui cerebri calculos sunt reuocata; literę tuæ omnes peruagatæ regiones terebantur manibus, tu molitionibus perditorum ciuium quibuscunque facem prætulisti, & tuus demum quem hauris spiritus ad seditionum omnium gubernacula sedit & quasi animam infudit. Quòd si obtestationibus tuis frequenti Æquiuocationum adminiculo fultis suum pondus & momentum adsit; per longissima temporum interualla ad hunc vsque diem, animus tuus (qualis bonorum Pastorum esse debet) suâ se patientiâ est consolatus ad absorbenda quæuis asperrima paratissimus: tui affectus admodum sedati & ad obsequium præstandum exquisitè compositi; tua consilia integra, & quodam innocentiæ nitore conuestita. Cæterùm vt imposturas tuas, ad viuum resecem, animaduertendum, quòd cùm Angliam inuadendi expectatio frigescere sensim, & ex oblatâ pace collabi iam inceperat, vehementissimæq; auxiliorum petitioni facta in Hispania responsio ex animi votis non successerat; si cui nouo sceleri hactenus intentato domi manum admoueras, sine omni ab exteris auxilio, aut consilio perfici debuisset. Eum ipsa malitiosorum inuidia ab omni spe derelicta, extremum ita spiritum duxerat anhelantem, vt nec *Rosasolis* iam tum Hispania deserente; neque *Iscobah*, Comite Tironio pœnas humillimè deprecante, neq; intra proprios regni fines, subditorum dissidia (extinctis facilè contentionum facibus) operi tum ęgro & emorienti vigorem aliquem & ani-

mum afferre poterant, cùm tu (Garnete) perduellis, abstersa omni leprosa coniurationis anteactæ macula, lenitatis Regiæ Gratię lauacro regenitus, aliud derepente facinus mente contrectaueras; ita (quod cessit in prouerbium) canis ad vomitum es reuersus, & quodnam quæso lauacrum poterat illius hominis sordes eluere, qui (vti recte monet ecclesiastes) *iterum tangit mortuum?* *Catesbeius* enim opinione fluctuans, te ex cuius ore pendebat, adijt (ac si Mahometes suum Sergium (neq; enim personas sed rem ipsam nunc perstringo) a quo edoceretur vtrum vrgente temporum iniuria, fas sit saluâ conscientiâ, aliquod egregium in se suscipere quòd Religioni Romanæ in rem esset, vtcunque fuerit verisimile, in pluribus qui sunt nocentes, nonnulli simul rapiantur ad interitum innocentes. Vir quouis modo religionis cultor, siue in suo ordine moribus integer existimaret saltem Presbyterum, & Iesuitam (qui titulus non perniciem, sed salutem præ se fert) imo Iesuitarum apud Anglos Superiorem de tam immani scelere interrogatum, quàm primùm voluisse ab vnico sacrosancto Dei oraculo, quid agendum esset, salutariter erudiri; vbi facilè occurreret intuenti, Deum pro suâ misericordiâ statuisse iracundam Sodomis manum in suum sinum subducere, idq; in gratiam *decem iustorum* facere, si in tanta reproborum colluuie vel totidem reperirentur: Prudentem in Euangelio oeconomum, secum animo reputantem, quàm esset laboriosum tritico ad maturitatem succrescente, à zizanijs seorsim separare, famulis dedisse in mandato, vt colligendis zizanijs abstinerent *ne simul triticum eradicarent*. Veteres Ecclesiæ annales euoluenti constabit, pios Episcopos sub ipsis Religionis primordijs, supplicia rescindendæ Priscillianorum hæresi decreta per aliquod temporis spatium, consultò protraxisse, *ne Catholici cum illis vnà perirent*: Etiam didicisses Mediolanensem olim Ecclesiam Theodosio Imperatori vertisse crimini, *quòd insontes simul cum sontibus trucidâsset*. Tu verò Garnete proculcatâ diuini Canonis cùm authoritate, tum Ecclesiæ primæuæ exexemplis, illam nobis excudisti responsionem (de quâ non sine

sine aliquo horrore cogito & etiamnum dicere contremisco) si quid hinc Ecclesia non mediocris perceperit emolumenti, licitum fore & æquum, tollere e medio vniuersos.

Tantæne animis cœlestibus ira?

Garnete, nolo mihi succenseas, si ijsdem verbis te perconter quibus clarissimus ille olim Imperator perduellem est affatus in causa si huius conferatur atrocitati, longè inferiori. *Quid facit in pectore humano lupi feritas, canis rabies, serpentis venenum?* Quod autem animum tuum, suæ recordationis aculeo lacerat iam tandem & cruentat (si cupias in illius filijs percenseri, cuius insignibus & nomine gloriaris) istud est; institutionem hanc tuam & disciplinam fuisse adeo confidenter traditam, & tantâ digestam celeritate, & in succum & sanguinem conuersam, quia ex tui præsertim pectoris scrinio & ore exciderat, (*Scientia enim*, vti meminit Propheta, *a labijs pendet Sacerdotis*) vt *Rookwoodus*, *Batesius* & alij, qui vel ad ipsum operis tam atrocis nomen, totis cohorruissent artubus, cùm prima iacerentur fundamenta; per vnius tuam assensionem, vtiq; hominis grauissimi & literatissimi velo obtentam, omnem vacillandi materiam, mentibus suis illico ereptam agnoscerent. Et *Catesbeius* qui in rebus ad animæ salutem, lubrica & huc illuc tortuosa quorundam ingenia probè intellexit, tuæ assensionis vsus est argumento, veluti quodam incantamento quod Cacodæmones tum excitatos, intra circumscriptum conspirationis gyrum retineret. Tuum solius diploma, (quod vtinam dum communi istius lucis fruare beneficio, sæpe & seriò contemplando, ob oculos proponeres) nonnulli vt basin solidè fundatam collocarunt, in qua de reliquo extruendæ coniurationis ædificio conscientiam miserè occæcatam defigerent, non dico, ad præproperam corporis aliquando interituri perniciem, sed animarum quoque & salutis æternæ dispendium, nisi religiosè veram egerint pœnitentiam, quæ per oblatam in cruce Christi promerentis hostiam oppignerabit certam cordibus fiduciam *in quacunque hora peccator ingemuerit*. Licet enim Christus summâ perfunderetur lætitiâ, se ex illis ouibus,

quas

quas in suam curam tradiderat pater, ne vnam amisisse, & in mundum venisse vt saluum faceret, non vt perderet, tu æquum censebas, omnes eodem fatalis exitij sepulchro confundendos: Hic scilicet ille tuus est Charitatis ardor inflammatus.

Quispiam fortasse quæstione aliquâ ex inopinato & subdole proposita, subtilem & acutiorem aliquando (fateor) accommodaret responsionem, qui interim nihil prorsus mali secum mente agitaret ne quidem vel per insomnium: sed tu Garnete, alter ab illo, qui teste tuo ipsius chirographo, absq; hæsitatione palam confiteris, ex hac illius interrogatione derepente factâ *De Nocentibus* & *Innocentibus*, graue aliquod facinus illos aggressuros, te plurimùm subuereri; *Quod ergo dubitas, ne feceris. Catesbey* animum, agellum luxoriosè admodum fœcundum fuisse videtur vt herbas malè olentes & noxias vbertim & subitò profunderet, qui obfirmatæ securitatis & confidentiæ semina à te inspersa tam citò receperit. Enimverò fulminalis illa coniuratio, quę mense Ianuario, vix aut ne vix *embryo* visa est, Martio protinus subsequente *formati fœtus* naturam induit; imminente tum Decembri, spiritum accepit vitalem, cùm subterranei illi Fossores per murum firmissimum agere cuniculos inceperant. Non multò pòst te certiorem facit clanculum *Catesbeius* quid moliretur, quos hactenus fecerit progressus, quàm tum probabilis spes sibi affulserit de fœlici partu & exitu laborum ad voluntatē affluente. Atq; hac potissimum de causâ te sciente & curante *Guido Fawks* mare traiecit, vt *Gulielmum Stanleium* virum ordinis Equestris opportunè conueniret, de copijs belli subsidiarijs propius maritimas partes quàm primum deducendis, quæ si opus fuerit, funestæ huic celebritati tædas præferant. Et quo tandem quæsito fuco, hâc muneris *Guidoni Fawks* delegati culpâ te expedis: Hanc nimirum in te solummodo suscepisse prouinciam, vt tuis literis non aliquem proditorem sed virum militarem commendatione tua honestares. O inauspicatam coniurationem, quæ sortis tam deploratæ sibi accersat aduocatum!

uocatum ! cùm ipſe *Guido* nihil minùs quàm dare militiæ nomen cogitaſſet, vt qui fulminalis pulueris iam ſtatim accendendi partes ſibi ſuſceperat. Hac autem voluit vti ſeceſſione, vt ſua abſentia ſceleri diem ex die expectanti, velum obtenderet: & oculos perſpicaciſſimè intentos, faciliùs declinaret, qui non ita diſiuncti, illius cùm aditus tùm exitus accuratiùs obſeruaſſent: Vel me ſilente res ipſa loquitur, Confeſſiones ſunt directæ & ſcelus intentatum meridiana luce clariùs extat. Omnes tuæ deliberationis lineæ ad Fodinę centrum ducuntur. Omnes literæ, vel conſcriptæ, vel (vt Hieronymi vtar verbo) *ſcorpionis manu* ſunt interlitæ; Sub pœna tamen Anathematis credere neceſſe eſt per integrum hoc temporis decurſi ſpatium, te Charitate fuiſſe, quia toto hoc tempore (quod animus horret meminiſſe) ſacræ corporis & ſanguinis Chriſti ſynaxis particeps eſſe non extimueris.

Atque vt reſponſiones enucleatiùs paulò excutiamus eas quæ ad fulminalem ſpectant molitionem, omnium quas terrarum orbis ſuſtinuit hactenus aut ſuſtinebit, & *longitudine*, & *latitudine* extenſiſſimam. Negare quidem *Garnete* nullo modo potes, quin facinoris obeundi ratio, ex ore *Greenwelli* (inter confitendum, vt ais) ſit tibi denuò renunciata, quæ in *Cateſbei* de *Innocentibus* quæſtione erat antè propoſita, tuæ fuerit inſtitutionis & diſciplinæ fructus, & Axioma quoddam ſingulare è tuis deductum fundamentis. Cùm te tandem percontemur, Quid cauſæ impulerit, ſtratagema iſtud & Maieſtati Regiæ, & Reip. adeo pernitioſum alto ſilentio ſepelire, vt nec Regi ſignificaueris *tanquam Præcellenti* (vt loquar cum Apoſtolo) nec cuiuis Magiſtratui poteſtatem ſub eo vicariam exercenti, protinùs te confers ad inanes *Confeſſionis* latebras, refugij portum, ad ſpeciem ſolertiſſimè (vt putas) apparatum, ad quem tamen aliquanto tardiùs es prouectus, quàm vt notitiam quæ prima tibi per *Cateſbeium* eſt delata, excuſare valeat; cùm & ipſe nobis priùs feceris teſtatiſſimum.

Non eſt mihi animus prolixiùs diſſerere, quo pacto ſuum

 um

um rectè gesserit officium *Confessor*, aut quam retegendi libertatem iure sibi possit assumere, vt sua Principibus vita seruetur incolumis & dignitas illibata, quæ alioquin tenebrionis spurcissimi furore ad audendum quidlibet proiecto & ignorantiâ plusquam stupidâ certo exitio destinetur. Hoc autem mihi constat exploratissimè, ob longè minoris momenti negotium, imò ob crimen non ita atrociter immane & nefarium; quàm est istud in Regem simul & Rempub. in Constantinopolitana Ecclesia annis multo retroactis *Confessionem* vulnus sibi grauissimè inflictum, per aliquot sæcula indoluisse. Absit enim vt tanti ponderis machinationes filo tam tenui & ancipiti appenderentur. Sed ego excusationem hanc de tenera ac molli in hoc Confessionis opere tuâ sententiâ facilè possem diluere si in controuersiam vocarem, vtrum istud colloquij genus omnino fuerit Confessionis nomine honestandum; contra defensionem enim tuam disertè & quoad verba categoricè prolatam, sed Æquiuocationis adminiculo bellè sustentatam, argumento vti videor verisimili: Quòd cùm genibus aliquando flexis in humum inclinares, mox hinc inde obambulares, cùm coniuratio sine discrimine *Confessioni* admisceretur, non vt conscientiæ solicitæ & afflictæ quicquam afferret alleuamenti, sed ille ad opus strenuè & alacriter peragendum instrueretur; cùm *Greenwellus* nullâ morâ interpositâ Absolutionem receperit, quæ omne dilationis perfugium excludit, etiam *Greenwellus*, vera si hæc statuatur Confessio, impudentissimi in Spiritum S. mendacij argueretur, qui (quod nobis *Garnete* nimiùm cupis persuaderi) sponsione factâ est pollicitus, (quantum in sua situm potestate) reliquos consilij participes ab incepto deflectere, quod nihilo secius (vt liquidò apparet) intentis industriæ neruis vsque promouit: imò etiam tum, cùm coniurati satellites vasa coclamarent: Ita infero, quòd licèt hæc *Greenwelli* narratio inter confitendum fuerit exprompta, nequicquam tuis fauere partibus, qui eam ipsam a *Catesbeio* quem fidelissimum amicum in oculis vnicè ferebas, priùs intellexeras: Si verò *Confessio* non sit censenda, violatæ fidei, an quicquam

quicquam poterit adiumenti afferre aut præsidij? Sed quid opus est per aranearum telas leuiter contextas lucem intueri? tuæ machinationis vniuersa fabrica, (qui reticendo, istum latere voluisti, quod ab altero didiceras, & astutè singulis occultari, quod tacito suffragio effectũ peroptâras) nobis clarissimè loquitur, tua consilia tam æquabili taciturnitatis cursu circumferri, vt si quando in publicum emanarent, homines potius cautā solertiam demirarentur quàm fidem collaudarent.

In eo, quod argumentis vel ipsa luce clarioribus tam futiles obtrudis responsiones, aut Gygis annulum in opem implores necesse est, vt oculorum nostrorum aciem fugiat facinorosa tua temeritas & perfidia; aut aliquam captu nostro nimis obtuso & intelligentia imbibas opinionem, qui adeo exiliter contextis sophismatum inuolucris, posse perstringi & illudi speras. Etsi enim præ te tuleris, ipsam Coniurationem (vt primùm est in tuum sinum deposita) excruciatum diu & luctantem animum valdè pupugisse, frequentem ipsius memoriam, spiritu intùs contorto, soporem excussisse, effusis coram Deo precibus & lamentis gratiam cælitus præuenientem deuocâsse, *Greenwelli* operam ad designatum facinus frangendum protinus efflagitasse: tu tamen per integros tot dies, idem malum altiores agere radices lubentissimè passus es, tu laborem hoc in scèlere subeuntibus præstò aderas, tu literas seriò vehementes ad *Baldwinum* simul & *Creswellum* misisti, vt suppetijs, quibus possent, maximis opportunè succurrerent: Tu solenneni precationis formulam Catholicis pro auspicatissimo suscepti negotij euentu præscripsisti, tu quasi in specula constitutus, cum duabus primis dimensionibus Capitis æneì, a Fraterculo *Rog. Bacone* olim fabricati, *Tempus est*; *Tempus erat*; anxiè horas obseruasti, vsque dum Tempus (quod omen auertit, cui gratias, Deus) tertium præterijsset. Alteram tu semper aurem arrectissimè patentem & displosioni intentam præbuisti, pari certè vsus insimulationis vafritie ad negotium hoc pulueris fulminalis conficiendum, quâ *Carolus Quintus* ad Papam custodiâ detinendum, quadam sanctione per omnes Imperij sui fines e-

 ditâ,

ditâ, vt vota haberentur publica pro eodem rursus in libertatem asserendo, quem ipse in carcerem detruserat & detinuit. Quiuis tui calami ductus vel minutissima (si quid minus) oris tui vocula Regis & reip. salutem tueri potuit intemeratam, (dum te & conscientia discerptum & in somnis noctu exagitatum falsò conquereris) & multo causæ tuæ vberiore cum fructu quam obnixè prouehere contenderis; quàm istæ vnquam insidiæ perduellionum afferre poterant. Verùm & illa mollities tua, & meticulosa ad prodendum tarditas, est isti non dissimile studium officiose pium *Catesbeium* a suo proposito dimouendi, cùm in Warwicensem Comitatum se reciperet; quò nunquam proficisci prius statuit, quàm Domo Parlamentaria fragore fulminis infernalis subruta, procella diffugisset. Credibile est obiectum alicuius inexpectati euentus cogitationem acriùs solito & vehementius mentem tuam exercuisse, quod idem *Caino*, *Achitopheli* & *Iudæ* Domini sui Traditori multo ante contigit, & ex ipso diei verbo ratio depromitur luculenta. Quòd, *cum sit timida Nequitia, condemnationi suæ dat testimonium; & semper præsumit sæua perturbata conscientia.* Reportante tamen Satanâ victoriam, illius etiam Angeli suo muneri non desunt.

Vt eò tandem reuocetur vnde est exorsa, orationem ad te *Garnete* nunc conuertam, sigillatim nonnulla percensendo, quibus Satanas stupendum in modum & præpostere in vltimo hoc pulueris fulminalis opere, conditionem pristinæ naturæ propriam permutauit.

Post primi Parentis lapsum hæc est a Deo Serpenti inflicta maledictio, vt *super pectus suum gradiretur*, nunc autem instat falconis expansis alis ad supremam vsque aeris regionem, & inter ignita meteora conspicimus euectum. Altera supplicij pars fuit, vt *puluerem* de terra lingeret; ex quo tamen Sodoma vsque in cineres *Sulphure* redacta sunt, & vxor *Lot* in salis statuam conuersa (materia affabrè coagmentata, qua Satanas in hac igniaria officina vteretur) non obscurè constat Serpentem ab esu pulueris (quod opus & parum est insidiosum, & in omnium oculis quasi versatur) ad

nefarium aliquod scelus multo solertius cõmoliendum, sc. ad puluerem fulminalem imbibendum & exhalandum se contulisse. Serpens tum calcaneo struxit insidias, nunc Capiti a quo reliquæ corporis partes spiritum sibi attrahunt. Quæstione tum ad speciem modestâ Euam est aggressus, *Cur præcepit Deus?* nunc obfirmatâ peruicaciâ in assensum pertrahit, *Præcepit Deus.* Illius tum verba, quædam præludia foelicitatis & solatij splendida præ se ferebant, *Nec quicquam moriemini*; incussère simul nunc omnibus terrorem; *Moriemini.* Tunc temporis Satanas, sacræ paginæ contextum rodendo tantùm vellicauit vt *Mus Ponticus*, sic Martionem Tertullianus dixit. Nunc verò de tollendis è medio principibus Æquiuocandi rationes & firmamenta è sacris Scripturarum fontibus, Scholasticorum authoritate egregiè stabilita, nobis vel nolentibus propinat. Satanas tum Christum in summo Montis fastigio, magnificis *omnia dandi* præmijs pertentauit; atque nunc magnum omnipotentis Dei, cuius vices obtinet, legatum importunè sic adoritur: *Auferam tibi omnia*, vitam scilicet & dignitatem; *sed ex penetralibus vbi Christus non est*, vt Euangelista nos edocet. Draconis (in Apocalypsi) non vlterius excreuit ambitio, quàm vt tertiam stellarum partem caudâ suâ pertractam, e cœlo in terras deturbaret; illius verò & sui asseclarum conatus, eo nunc collimârunt, vt Solem, Lunam & Stellas, cùm e Camera Stellata, tum Parlamento funditus tollerent, vt nullus in posterum lucis radius bene merentium studijs affulgeret. Regnante Saule, adeo se modestè gessit Satanas, vt illusionum & oraculorum præstigias aliquandiu tenebris obuolutas cohibuerit, donec ipsæ Prophetarum visiones & ostenta, ad exitum suum perducta senescere viderentur; nunc autem Mosem etsi habeamus & Prophetas & *firmiorem propheticō sermonem*, inter purpuratos tamen nequissimè perbacchatur, & *inaudita fundit oracula.* In Ecclesiæ Christianæ primordijs, vel ipsum Christi nomen ad Satanam propulsandum inualuit, & homines dæmoniorum incursibus miserè obsessos, insanitatis libertatem vindicandos; si posteriora verò hæc & deteri-

ora mundi sæcula libremus, in quæ nos prolapsi sumus, eum veteratorijs suis fraudibus, aliam recens artem multo sagaciùs excogitâsse reperiemus, qua, sub ipsius Christi vexillo, contra delegatos Imperialis Christi maiestatis Præsides depugnet. In hac saltem re vnicâ nullam hactenus video fieri in Serpente discrepantiam, dum omnes neruos intendat, vt in rebus ordine administrandis, Numinis diuini Prouidentiæ parum confidenter homines adhæreſcant, in suis ipsorum viribus spem defigant, & vmbratili quadam boni & mali scientiâ fastidiose glorientur. Vt ille autem error in causa erat cur Adamus Paradiso exterminatus, (qui *hortus erat conclusus)* in exilium proscriberetur; ita etiam alia huic non multum dissimilis nos & hæredes nostros, vitâ simul & fortunis excluserat, & *penitus toto diuisis orbe Britannis.*

Hæc pluribus sum prosequutus, vt perspiceres quàm futiliter & pertinaciter, contra Dei prouidentiam, & *(qua te tuo iugularunt gladio)* æquissimè descripta patriæ iura dimicaueris. Quanto contendis operosiùs, istis quibus oberras inextricabilis labyrinthi recessibus te explicare, cùm a regiâ & rectâ via iam discesseris, eo difficilius extricandi ratio inuenitur: *Sapientia enim mundi, coram Deo est stultitia,* neq; fieri vllo modo potest, vt eorum molitiones & consilia si ad sanioris iudicij stateram expendantur, aut huius sæculi probentur calculo, aut futuri præmijs donentur, quæ plurimorum excidio cruentata, tyrannide plusquàm barbarâ conficiuntur. Quòd si non alius quàm per Maiestatem Regiam ab ipso Deo inunctam, & sobolem eius radicitùs extirpandam in cœlum patet aditus; ijsdem te *Garnete* verbis alloquar, quibus Ascesium olim Constantius, *Erigito tibi scalam & in cœlum solus ascendito.* Qui enim ad obsequium præstandum probè compositi sunt, tam perdito nefariorum ciuium consortio se nunquam aggregabunt.

Quod ad te attinet pro tribunali iam reum peragendum, haud asperiùs quicquam velim, quàm vt ad salutem animæ consequendam, seriam ex animo agas pœnitentiam. Quod superest; *Fiat Iustitia, currat Lex, vincat Veritas.*

Ad hæc Garnetus, se plura admisisse quàm quibus diluendis iustam aliquam posset excusationem affingere: se simpliciter & apertè criminibus respondisse: verùm iureiurando adstrictum teneri Confessionis secreta silentio recondere, nihil in publicum effundere quod inter sacramentaliter confitendum *audiuerat.* Garnet.

Hinc quærit Comes Nottinghamiæ si quis in illius aurem manè confiteretur, se die sequenti Regem pugione transfixurum, vtrùm occultare teneretur? Com. Not.

Affirmauit Garnetus. Garnet.

Tum Comes Salisburiensis potestatem sibi concedi postulat, vt de *Confessione* paucula percontaretur. Comes Sal.

Adnuit Garnetus, & se pro facultate responsurum dixit. Garnet.

Annon igitur (inquit ille) priusquam fiat *Absolutio*, præcedere *Confessio* solet & *Contritio*? Com. Sal.

Vel maximè inquit Garnetus. Garnet.

Ab eo deinde doceri voluit, num ab eo *Greenwellus Absolutionem* acceperit. Comes Sal.

Accepisse respondit Garnetus. Garnet.

Quid fecerit, inquit Comes, *Greenwellus*, vnde constaret de scelere dolorem concepisse? an promiserit ab incepto desistere? Comes Sal.

Respondit Garnetus, *illum dixisse omnem (quantum eniti posset) operam in eo positurum.* Garnet:

Quem ita Comes intercepit. Id verisimile non esse, nam vbi primum *Catesbeius* & *Percius* ad arma confugissent, *Garneti* nuncius *Greenwellus* eos accedit, inde ad *Hallum* in *Abingtoni* ædibus se confert, ardentissimisq; precibus efflagitauit, vt periclitantibus socijs opportune adessent. Hinc inquit, mihi illustre suppetit argumentum, *Greenwellum* tibi extra *Confessionem* Comes Sal.

rem

rem indicasse vbi nulla reticendi necessitas, aut si inter *Confitendum* pœnitentiam non erat ille professus, illum itaque absoluere non potueras. Quibus adiecit Comes, vnum hoc caussæ caput esse, & sæpe in mentem reuocandum, nec vllo obtegi posse quæsito verborum fuco. Quod cùm *Greenwellus* tibi particulatim disseruisset, quid *Catesbeius* animo secum agitaret, tibique etiam venisset in mentem quid ante *Catesbeius* paulò obscuriùs declarauerat, nisi optatissimus tibi fuisset Coniurationis exitus, ex ijsdem quæ te docuit *Catesbeius* in lucem proferre potuisses. Verùmenimuerò cùm vellet *Catesbeius* illa tibi esse penitus perspecta, quæ ante *Greenwello* exposuerat, ex eo audire abnuisti, ne verbis mentem temerè proderes.

Admodum ieiunè respondit Garnetus, *se scilicet in id vnum totis incubuisse viribus, vt ab incepto dissuaderet, & in Comitatum Warwicensem iter fecisse, vt* Catesbeium *illuc peruenturum à proposito reuocaret. Quod* Greenwellus *Patrem* Hallum *ad arma excitauerit, grauissimè in eo peccâsse.*

Interpellabat Comes, primam responsionis partem esse per-ridiculè absurdam, cùm ipsi explanatum esset, *Catesbeium* non ante sextum diem Nouembris, postridie scilicet post cladem inflictam in Comitatum Warwicensem non profecturum, *Garnetus* autem relicta vrbe, ante diem decimum rus profectus est. Ex altera parte aiebat se lætari quòd Orbi Christiano iam planissimè constaret perduellionem & perduelles ab ipsis perduellibus è suis quasi vmbraculis in apertum solem eductos, Iesuitas ab ipsis Iesuitis esse damnatos, imò Iesuitas ab eo Iesuita qui Iesuitas in hoc regno omnes sua coercet potestate, cuius vnius nutum singu-

li

li in Anglia Iesuitæ obseruarunt.

Hic Garnetus (quod verisimile) atrocitate sceleris ob oculos proposita, læsæ conscientiæ perfossus stimulo Deum & Regem supplex orauit, ne cum Catholicorum reliquis suam vnius ob noxam asperiùs ageretur. *Garnetus.*

Eum deinde Comes sic affatur : an non vehementer deplorandum est, si Papa vel *Claudius Aquauiua*, aut ipse tu *Garnete*, Catholicis vestro iugo miserè subactis, quicquam in mandatis dederitis, cum corporis imò & animarum dispendio, nihilo secius teneri confestim assurgere obsequentissimos ? Quod si vos huiusmodi doctrinæ patronos haberi non erubescitis, quo tamen pacto sua Maiestati Regiæ vita à periculis conseruetur ? Nonne Regi igitur & reipublicæ à vobis maturè est cauendum, qui in hoc regno bonas horas ita malè collocatis ? Comes Sal.

Garnetus *vehementiùs hîc commotus ait : vtinam (honoratissime Domine) coniurationis illius fulminalis negotium mihi nunquam innotuisset.* *Garnetus.*

Hinc Primarius Angliæ *Iusticiarius* : Tu *Garnete* (inquit) Iesuitarum *Superior* es designatus; si quid vetas, nonne cæteri dicto audientes esse debent ? An non comperta molitione vestra, in ædes *Euerardi Digbai* per semihorulæ spatium diuertit *Greenwellus* ? Nonne quid consilij esset capiendum multo vtrinque sermone est controuersum ? Nonne tu illum ad *Hallum* in *Abingtoni* domo commorantem misisti, vt coniuratis ocyùs subueniret, & ad arma capienda animos exacueret ? Quorsum ergo istis adeò per se perspicuè manifestis nebulas effundere conaris ? Quid frustra quæris diuerticula ? Etsi enim in promptu sint & nobis testatissima, tu tamen dicere audes præter vnum in vi-

uis esse neminem, qui te tanti sceleris conscium possit arguere: probabile demum est, ex ijs qui morte sublati, aliquos potuisse. A tuo latere nunquam discessit *Catesbeius* (vti palam confitetur Matrona illa quacum ijsdem receptus parietibus victitabas) Multis ad hæc dilucidis probatur argumentis, te partibus istius Coniurationis speciatim singulis adhæsisse, & Actoribus ad sua munia ordine & strenuè obeunda affuisse consilio; Etiam (ego facile adducor vt credam) te prima iecisse fundamenta.

Garnet. *Minimè* (inquit Garnetus) *Honoratissime Domine, Author haudquaquam fui.*

D. Iust. pri. Peropportunè tum premebat *Primarius* ille Angliæ *Iusticiarius*, literas ab eo fuisse conscriptas in gratiam *Winteri*, *Wrighti*, *Fawkes*, *Bainham*, & *Catesby*, qui perduellionis antesignani extitere. Illum præterea meminisse voluit, quàm perfidiose *Bullas* duas Pontificias, ad ius Maiestatis Regiæ intercipiendum & graue aliquod reipub. vulnus infligendum, priuata custodia retinuisset; quas cùm regnum hæreditario iure debitum Rex omnium applausu nullo tumultuante esset consequutus, omni præclusa spe, in ignem protinus coniecit.

Deinde *Attornatus Regius* Confessionem *Halli*, (alias *Oldcorne*) Iesuitæ, contra ipsum propria exaratam manu (quam omni exceptione maiorem esse asseruit) curauit palam recitari, in qua diserte testatur *Humfredum Littleton* ei renunciasse *Catesbeium & alios* puluere tormentario ex improuiso accenso, fuisse miserè sauciatos: seque grauiter & acerbe ferre, insumptam tot dierum operã iam in fumos euanuisse & ad exitum adeo deplorandum abijsse. Quem *Hallus* alacriori animo

mo esse iussit, neque caussæ æquitatem ex euentu iudicare. Etsi enim vndecim tribus Israeliticæ, peculiari etiam præcipientis Dei voce concitatæ, semel atque iterum cum fratribus e tribu Beniamin manus conseruerint, vtroque tamen commisso prælio fractæ redierunt. Sic S. *Ludouicus* Rex Gallorum numerosum conflauit exercitum,& in bellum Sacrum peregre profectus contra Saracenos, licèt caussa fretus optima, profligato tamen exercitu deuictus erat. Christiani itidem Rhodum, contra Turcarum insultus viriliter & animose propugnantes, nihilo minùs vrbem hostibus expugnatam reliquere. Hæc omnia palam est professus, ad recentem *Catesbei* & aliorum coniurationem fuisse applicata ; adiecisse etiam si semel peractum fuisset, etiam laudandum fuisse.

Declarauit etiam *Attornatus*, *Franciscum Treshamum* Papicolam proditorem in ipso *mortis Articulo* (quod vel meminisse horruit)in animæ suæ salutẽ protestatum esse totis sedecim annis transactis *Garnetum* sibi ne conspectum fuisse : cùm contrà idem *Garnetus* libere sit confessus, hoc temporis spatio, illum sæpius conspexisse. Similiter iurasse,neque *Garneto* consilium inuasionis ex Hispania fuisse compertum; quod tamen ipse *Garnetus* non inficiatur; quæ etiam vtraq; *Treshamus* coram Honoratissimis Dominis prius fateri non recusauerat. Vt verò animam editurus se morti vicinum sensit, a famulo suo *Vauasor*, quem ego (inquit *Attornatus)* coniurationis istius in præcipuis reum arbitror) literas ad Salisburiensem Comitem scribi curauit, in quibus illa duo crimina conatus est eluere homo desperatissimè leuis, quæ *Garneto* eidem ante imputare non dubitarat ; vt autem Reuocationis tam

execrandæ formula luculentiùs pateret, literæ quæ publicè legerentur sunt prolatæ.

Com. Sal. Priusquam recitarentur, Comes Salisburiensis interpellandi occasionem sibi oblatam esse dixit, quoniam in literis occurrerent nonnulla quæ suâ intererant. Quapropter sibi in votis esse dixit vt omnibus palam faceret, nullam subesse causam, cur fidem habeant obtestationum fraudibus adeò perfidè connexis, quandoquidem, vt suæ ipsorum nequitiæ facilius vmbram inducant, & regiam æquitatem malitiosiùs insectentur, Iesuitas omnes læsæ Maiestatis culpa vtcunque grauissima conentur liberare, idque in laude aliqua etiam & merito ponendum rati, in illis præsertim temporis deploratissimi angustijs, cùm omnem bene de seipsis sperandi animum despondissent. Qualem credibile est, & *Euerardi Digbei* obtestationem pro Tribunali habendam esse, qui a Iesuitis omnibus ea remouere crimina sibi minime verendum censuit, quæ tamen ipsi *ex ore proprio* priùs confessi erant. Neque his dissimile *Treshami* factum, ad quem grauissimo afflictum morbo, dum ex misericordia ipsius vxori adeundi copia in solatium data esset, istiusmodi efformantur literæ, aliquot ante mortem horis, suo chirographo consignatę, in quibus, sub implorata beatitudinis æternæ fiducia quod ab ipso nunc *Garneto* refellendum, asserere non formidabat.

Literæ in hunc sensum conscriptæ leguntur. Quòd cùm primis regni Regis Iacobi auspicijs criminum superiorum gratiam diplomate consequutus esset, vt delegatis satisfaceret, *Garnetum* in crimen vocasset, infirma nunc valetudine admodum efflagitare accusationem illam omnem, vtrique ementitam, reuocari: nam per

per animæ suæ salutem asseruit se intra sedecim annorum spatium *Garnetum* ne conspexisse quidem.

Addidit Comes, tanto dolentius hoc ingemiscendum, quia tribus tantummodo decursis horis postquam hoc se scelere constrinxisset, extremum vitæ spiritum efflauit. *Garnetum* simul rogauit quidnam ille de hac suprema protestatione sentiret?

Retulit Garnetus *verisimile est eum* Æquiuocationis *beneficio vti voluisse. Examinatio & Confessio Annæ Vaulx ad periurium* Treshami *clarius euincendum, publicè recitatur. Quæ non inuita fatetur se* Treshamum *vnà cum* Garneto *frequentem domi suæ, & ex quo serenissimus Iacobus regnum obtinuerat, ter aut quater eidem mensæ vnà accubantes conspexisse*; Garnetum *ei salutare semper dedisse consilium, eiusque nec non aliorum eiusdem farinæ nimis importunam his verbis infregisse audaciam. Amici bono estote animo, sed tranquillo. Quæ velitis non alio quouis quàm precum ad Deum eiaculatione extorquebitis. Nec illa dissimulabat, æstate superiori vtrosque ad* Erith *conuenisse.*

A *Garneto* quæsitum est, an Examinationes eiusmodi pro veris agnosceret? Quas ita se habere non pernegauit; ipsius deinde Examinationes in medium proferuntur, quibus & agnouit palam inter ipsum & *Treshamum* veterem intercessisse consuetudinem, & literas de regno inuadendo conscriptas in Hispaniam se transmisisse.

Comes Salisburiensis auditores hæc admonuit.

Quæ hactenus de *Treshamo* & cæteris abundè sunt disceptata, non vt defunctum lacesserent & inuidiosius exagitarent, sed importuna multorum loquacitate se coactos, eadem clara voce repetendo, oculatis testibus

probare, quæ malè feriatis contradicentium præiudicijs ora possent obstruere. Dicebat enim vel etiam tum sparsam per vrbem vagari famam de *Batesij* retractatione, quæ propria manu contexta primam *Greenwelli* accusationem penitus eneruasset: admirandæ hæ sunt perditorum hominum imposturæ, & in republica libera non perferendæ! Cæterùm dies, iste dies quàm illa sint mendacia perperam conficta orbi enunciabit, & ipsum te non alijs quàm tuis ipsius confessionibus & factis conuictum teneri. Ah *Garnete*, quorsum per diem integrum, tantum operis in isto capitis tui negotio poneremus, nisi vt caussa suis coloribus proposita clarissimè dilucescat. Faxit Deus ita sis exemplo vt in huiusmodi Coniurationibus Actor vltimus reperiaris.

Dominus Admiral. Angliæ. *Garnetum* deinde alloquutus summus Angliæ Thalassiarcha, affirmabat illum eodem vno die Reipublicæ plùs commodi attulisse ex illo suggesto (collocatus enim erat eminentiùs quasi in suggesto) quàm ex vllo alio suggesto, per vniuersum anteactæ vitæ curriculum.

Examinatio deinceps alia *Annæ Vaulx* recitatur, in qua confessa erat ipsam & *Garnetum* in *Treshami* ædibus in Comitatu Northantoniensi aliquandiu egisse.

Comes Sal. Iam Comes Salisburiensis *Garnetum* ita est affatus, *Garnete*, si ad defensionis tuæ extrema nondum perueneris, certiorem te fieri velim, Maiestatem Regiam dedisse in mandatis, vt quicquid vel contra te, vel pro te faceret, pro Tribunali recitaretur: quod vtrinq; perinde factum est. Generosam istam fœminam, quæ sua Confessione tuam quasi caussam agit, facilè adducor vt credam, si quid adiumenti fortunæ tuæ adeò periclitanti afferre posset, seipsam voluisse flammis victimam

mam immolari, cui in eadem sorte constitutæ & tu parem gratiam rependere conareris. Quod ergo reliquum est *Garnete* per nos liceat ad extrema vsque persequare.

Deinde Iuratos appellat Garnetus, *& obtestatur, vt quæ vel affirmasset vel negasset, veraciter affirmari & negari secum reputarent, quorum autem nulla satis dilucida & ob oculos posita constaret ratio, ijs haud temerè fidem adhiberent, neue ex coniecturis aliunde & leuiter petitis eum condemnarent.* *Garnet.*

Percontatur Comes, an ista sint omnia quæ velit, si minùs, interpellabit nemo, concessa tibi est liberè verba faciendi potestas. Comes Sal.

Ad quem respondit Garnetus *se dixisse omnia.* *Garnet.*

Tum *Attornatus Regius* ab honoratissimis Dominis Delegatis obnixè petijt, vt in hoc latissimo dicēdi campo, si quid præsēti negotio necessarium, e memoria excidisset, in memoriam sibi reuocare non dedignentur. Quē hoc præconio dimisit Comes Salisburiensis, munus suum multa cum laude diligenter & eruditè obijsse. Attorn.

Tandem *Attornatus*, duodecim Iuratos, in vnum locum seorsim iussit secedere, qui dicto audientes, colloquium priuatim iniere, paulòque post reuersi *Henricum Garnetum* vna voce reum declararunt.

His peractis, *Crokus Regi ad Legem Seruiens*, vt sententia pronuntiaretur, postulauit. Ser. Crook.

Waterhouse Clericus Coronæ Garnetum interrogauit, si quid superesset quod diceret, quò minùs sententia pronuntiaretur.

Garnetus respondit, nihil sibi superesse, Dei autem & Regis misericordiæ se commendatum habuit.

Comes Northamptoniæ deinde hanc habuit orationem

tionem quæ consultò multò auctior ædita quòd in ea de authoritate quam Pontifices Romani sibi in Regibus abdicandis arrogant, fusiùs agitur ; & Canon ille *Nos Sanctorum* huius Coniurationis basis, neruosè excutitur.

Comes Nor.

ETsi Platonici nonnulli, nec illi quidem ex infimo subsellio, potiùs cogitatione conceperunt, quàm recto linearum ductu demonstrarunt *Nihil esse quod non antea fuerit*, si modò fieri possit vt veræ obseruationes ex veris monumentis desumerentur ; omniaque consilia & conatus perinde ac cælorum situs & aspectus ex conuersione ad idem vnde semel profecta sunt, quasi ex postliminio reuolui : nisi tamen meæ me fallant Ephemerides in cælesti schemate de hoc facinore nuperrimè suscepto, confirmando, confidenter cum graui illo Senatore effari licet; *Repertum esse hodierno die facinus, quod nec Poetæ fingere, nec Histrio sonare, nec Mimus imitari poterit.* Tam desperatè malignum, tam præter naturam & intempestiuè in producendis Monstris fœcundum est hoc nostrum æuum, in quo charitatis ardor deferuescit, & Cacodæmones ex funesto Satanæ satellitio, nunc priusquam postremus rerum terrestrium glomus conuoluatur, tam furenter sunt violenti in subtilioribus scelerum, & conspirationum filis sub pietatis & zeli integumento contexendis, quod Veritatis spiritus *spiritualem nequitiam in Cælestibus* apposité nominauit.

Hinc ego, *Garnete*, inducor ad te orationem conuertere meam, non tamen aliqua tui dignatione, *aut quia te nostra sperem prece posse moueri* (etsi naufragij obedientiæ & conscientiæ tuæ in tam fallaci Syrte ex animo misereor) verùm in eorum gratiam qui nondum in Seruatore nostro didicerunt, hominem in vno elemento *duobus Dominis seruire* non posse, & simul Regis nostri Serenissimi nomine à te (qui tot sectatorum tuorum animos quasi stipulatione ad vitam facta teneas) rationem accuratam de vitis eorum perditorum exigere,

gere, *quos vel apud te perditos inuenit, vel per te perdidit.* Ita enim vel tu in quem tot vigilantes oculi conijciuntur, diuina gratia cum pijssimis meis votis cooperante, ad deplorandum non aduersum successum (hoc enim desperati factitant) sed nefarium inceptum huius *clamantis peccati* (quod verè est pœnitentis) perducaris, vel saltem ex nigrantibus indurationis vorticibus eousque extraharis, vt cum *Petri Lombardi* matre te non posse dolere verè indoleas.

Temporis angustiæ, actionis prolixitas, auditorum lassitudo & esse possunt, & sane sunt magna auocamenta ab eiusmodi oratione habenda quæ tempus requirit, quamque consultius esset non inchoare, quàm non perorare. Veruntamen cùm Lex & Prophetæ in causa quæ nunc agitur, vt fundamenta substernuntur ad Reges abdicandos, & subditos ab obsequio quod legitimis Principibus iure diuino & humano debent absoluendos: eò officij ratione adigor, vt ab attentis his auditoribus tantum temporis nunc mutuò accipiam, quantum illico Reipub. bono rependatur: aliter enim *væ mihi* vt Propheta minatur *quia tacui,* quanquam cum alio tamen eiusdem ordinis concludam, *etiamsi ego tacuero clamabunt lapides.*

Primùm autem per me & tibi & vniuerso terrarum orbi innotescat, te non hodie pro aliqua conscientiæ tuæ caussa, pro tribunali sisti, vt nonnulli forsitan ex odio, vel animi peruersitate diuulgent, vt magis spetiosum professioni vestræ superinducant colorem. Cùm ex quo in Consiliariorum regiorum consessu primùm sistereris, ne interrogatus quidem fueris in quæ loca te receperis, aut quibus amicis, adiutoribus, aut rationibus in munere tuo fungendo vsus fueris, priusquam consilium de puluere fulminali (quod a religione alienissimum, cum furore & immanitate coniunctissimum) a nefaria incendiariorum colluuie fuerat initum. Quamuis te minimè latere potest quid Parlamentaria authoritas decreuerat, & quod nonnulli è vestra societate extremo supplicio affecti, eo quòd iurisdictionem quandam exercere ausi fuerint, quam nec Respub. admittere, nec obsequij ratio appro-

bare poterit. Ego aliquid amplius & ad Regis clementiam adaugendam & vestram ingratitudinem iustiùs suggillandam superaddam. Nullum vobis vitæ periculum ex Bullis illis Pontificijs comparatum esse, quibus Regina regnante, nec alius erat (vt ex confessione liquet) nec esse poterat scopus, quàm ad certissimum ius Regis præcludendum, quandocunque bacca matura ex arbore deflueret, & Sol decliuior cuius radij nunc erant obscuriores & dilutiores, necessariò in nostro Fimente occasum erat subiturus.

Gratuita illa criminum gratia à Rege tunc facta (quæ vt tempora ferebant *Melius inquirendum* postularent, priusquàm sine impedimento viam inuenissent) à te & alijs spiritualiter tibi coniuratis, multis inueteratis & purulentis huius generis vlceribus fuit adhibita. Ex hac criminum gratia tu *Garnete* (si non iam inde in peiora fuisses prolapsus) *Rectus in Curia* sisteris: in qua quamuis minimè me decet de dimensionibus & proportionibus Regiæ gratiæ accuratius disserere, te tamen increpare possim quòd tam malam gratiam pro tanto beneficio reposueris, & aduersam in hoc Regis fortunam dolentius deplorare, qui perinde ac Aquila clementiæ suæ pennis propemodum ad mortem sauciandus erat. Hæ non sunt veræ rationes, nec caussę cur hîc pro Tribunali sisteris, sed fraus tua in fouendo, malignitas tua in promouendo, impietas tua in confirmando scelere ante hæc tempora inaudito, nec quidem cogitato, in vitam Regis benignissimi omnium qui citra vel vltra *Trentam* sceptra gesserunt, in vitam Reginæ & ex suis virtutibus & beatissimo partu celeberrimæ, in vitam Principis, quem sine assentationis suspitione suauissimum & venustissimum flosculum qui vel ex Albo, vel Rubeo Angliæ Roseto vnquam progerminauit, ausim nominare. Lex diuina hominem qui multos & hilares dies videre velit, *matrem cum filijs* etiam in illis creaturis quæ diuinitatis non sunt typi tollere vetat. At tu *Garnete* ex inuncta superabundantis gratiæ influentia viribus quàm poteras maximis requietum huius Regij & sublimè volantis generis ouum si fieri poterat, conatus es conterere. Proceres, Præ-

sules,

ſules, Equites, Ciues, Iudices, Aduocati, & Adminiſtri omnis generis reſcripto illo *Corpus cum cauſſa* ad feſtiuum hoc incendium vt luculentiùs exarderet allecti erant. *Crucifixus* quem ſigno *Tau* comparatis, non amuletum fuiſſet veſtræ religionis profeſſoribus, ſi qui adfuiſſent, quamuis & illud Romæ conſecratum. Nullæ reliquiæ (in loco funiculi coccinei qui *Rahab* & familiæ in ſignum erat protectionis) Proteſtantem à Catholico diſtinguere potuiſſent, cum *G. Fawkes* fomitem igniarium in manu teneret, non benedicta grana vel ponderi ſcrupulum addidiſſent in cuiuſquam Romanenſis bonum poſtquàm *Greenwelli* dextra ſententiam Hebraicę vocis *Thecell* ſcripſiſſet id eſt, *appenſi in ſtatera inuenti ſunt minus habentes.* Vobis propoſitum erat vt opinor, quòd Stoici olim ſunt minati, hunc mundum igne purgare, vel cum Democrito nouum mundum quouis modo ex atomis creare: vel quia *Cateſbeio* quod *Thomas Percius* vltrò obtulit minimi erat momenti *tollere vnum*, vobis in votis erat ſemel ſimulque non hominem, ſed humanitatem, non *vnum*, ſed vnitatem tollere. Quod Liuius prodidit de Senatu Romano vno momento tollendo, quod Carthagini cogitatum fuit vniuerſam factionem vno impetu excindere; coniuratio *Bruti* & *Caſsij* de Cæſare in Senatu trucidando, conſilium maximam Cardinalium partē vno in Conclaui extinguendo, Siculæ veſpertinæ, & Pariſienſes Matutinæ, imò quod Nero optauit vt populus Romanus vnum tantum caput haberet, quod vno ictu præcideret, nefariæ huic molitioni quæ nec ætati, nec ſexui, nec ordini pepercerat, longo interuallo ſunt poſtponenda. Agnoſco itaque ſi *Cateſbeius* è tua ſchola diſcipulus ſupereſſet, in hoc, & ſine vlla exceptione gloriaretur, quòd Catelinam in ſceleris ſui machinatione longè ſuperaſſet. Sed hoc ex Tertulliano edocti ſumus quòd fauos etiam veſpę non minùs quàm apes faciunt, etſi nos in loco mellis puluerem inuenimus fulminalem.

Verumenimuerò hic non ille ignis erat, qui *Moyſi* de medio rubi ardentis apparuit, non ille ignis erat qui *Leui* filios purgaret, quamuis Leuitę veſtri ita eſſe voluerunt, non ille

ignis erat quem Christus in mundum vt combureret, iniecit, non ille ignis erat per quem illi seruabuntur, qui vero fidei fundamento minimè superstruunt: ad fallacem autē illum ignem proximè accedit qui scintillare incepit *post commotionem, quando in commotione non erat Dominus.* Illi igni alieno persimilis est quem *Nadab* & *Abihu* coram Domino zelo præpostero erant oblaturi. Qualitatem illam vastatricem habet ignis illius qui ex *Rhamno* erumpens celsas Libani Cedros erat vastaturus. Imò vt magis apposité loquar, & ad naturam consumentis & voracis huius ignis propiùs accedam, quem tu *Garnete* tuique discipuli omni spe ignem de cœlo deducendi deposita (quia vos non præterit eiusmodi petitionem repulsam tulisse dum Christus inter vobis multò potiores in terris ageret) à Satana qui Archipyrobola subdolè impetrare contendistis, & vt poëta canit

Flectere cùm nequeas Superos, Acharonta mouebas.

Verùm auspice Deo per hunc ignem proborum subditorum fides clariùs collucet, & Reipublicæ honor accedit. Ne expectetis matronas Israelis cum Tympanis & Cymbalis in honorem huius facinoris vos excepturas: actiones enim omnes quas nonnulli ex vestra professione sanctitatis fuco illinunt, haudquaquam sunt laude dignæ. Dum Telemachum cogitamus de Astyanacte minime curamus. Affectiones facilè oberrent vbi conscientiæ amussis variatur, & deprehendimus quòd vmbra non sit semper *eò maior quo serior.* Sin autem sanguinolenti animorum impetus tantum in *arido* valeant, quænam melior spes est in *viridi?* quod perinde est ac *linum fumigans.* Gloriam vestram ex peccatis vestris aucupamini. At quæ est gratia secundùm Apostolum si pro malè meritis plagas patiamini? Quod enim Iudei Christo quamuis impudenter obiectârunt, nos verè & confidentèr singulis qui huius sceleris vobiscum affines dicamus; *Non de bono opere lapidantur, sed de blasphemia.* B. Augustinus de eiusmodi feruidis, cerebrosis, & male-sanis suo tempore loquitur, quòd quamuis vitam in terris more latronum egerint, in morte tamen cultum & honorem Martyrum affectauerint,

affectauerint, in quorum numerum iure optimo hos sulphurarios & fulmineos incendiarios semper referam. Sin vt S. Petrus habet, *Benefacientes patienter sustinetis* (quod procul à furore vestrorum æstuantium animorum) hæc est apud Deum gratia quam vestra facinora minimè promerentur. Hi fortasse sunt illi dies quos *Nabal* querulus innuit, hodie *increbuisse seruos qui fugiunt, imò, quod deterius, qui persequuntur Dominos*. Itaque si ex Balaam ediscere nolitis, cauere ne plura quàm Deus suggerit, loquamini: quomodocunque tamen affectus vestri vos arripiant, ex Balaam asino ediscite pedem referre, cùm diuinæ iræ Angelum obiectum videatis, ne vt Abigael religiosè & consideratè Dauidem Regem affata, *cùm mors aduenerit*, quæ iam in limine, & cordis tui ostium iam pulsare incipit, sit tibi in *singultum* non quòd innocentissimorum sanguinem *effuderis, sed quòd effundere volueris*.

Quàm malè consilium subuertendi Reges, & subruendi regna cum Iesuitæ titulo, vel Sacerdotis officio conueniat, qui potiùs animi affectionibus temperamentum adhibere, quàm charitati nuntium remittere debent, ipsi Pharisæi demonstrant, qui docuerunt *non licere* quemuis occidere; multò minùs, vt rationi magis consentaneum, in ætatis flexu cùm iam crines instar niuis canescerent, pro oculis vstoria specula capiti ad igniarium fomitem inflammandum inseruisse. Veritas tamen ipsa dixit (cui vtrinq; credendum) *nisi abundauerit Iustitia nostra plusquam Pharisæorum, in regnum Cœlorum non intrabimus*. Perdiu erit priusquam nonnulli ex vobis cùm Paulo protestari possint, vos esse *mundos* & à cæde & sanguine innocuos, vel cum Gregorio ad Mauritium Imperatorem, nunquam se velle *miscere in cuiusquam mortem*, vel in mentem reuocare Sancti illius Episcopi pietatem meliori ęuo qui noluit illas manus suo capiti in ordinatione imponi quæ *respersæ sanguine*, vel aduersum Dauidis casum, cui quòd manus sanguine imbuisset, templum erigere non licuerat. Ad ipsas sacras scripturas vos recipite (vel si lubeat ad vestros ipsorum Canones) vt scrutemini an restrictio B. Pauli, ne rebus secu-

 laribus

laribus se immisceret, cum *Non obstante* fuerit iniuncta, quoad machinationes igniuomas & sulphureas. Tutissimum est tibi *Garnete*, vt mea fert sententia, iudicium tuum in his præcipitijs baculo grandæui Iacob suffulcire, hoc est cum deliberata illa sententia quam tulit contra Leui patrem Sacerdotum succedentium, quòd filios Hemor post circumcisionem occidissent, quæ in ea caussa tam fuit promissi vinculum, quàm fidei sigillum. Cùm ad veritatem persuadeor Protestantibus cum Catholicis in pluribus fidei & doctrinæ articulis conuenire, quàm Sichemitis cum Iacobo & eius familia. Quod si caussam illam in suas partes resoluamus, arctiorem similitudinem & de *facto*, & de *iure* in hac caussa quæ nunc agitur inueniemus, in quam vt oculos nostros & obseruationes defigamus, rationi sane inprimis est consentaneum.

Primùm enim Iacob ex conscientia & humanitate concludit, *non ituram animam suam in consilio Leui, nec in cœtu illorum futuram gloriam.* At quæ est ratio? *Quia in furore suo occiderunt virum* (quod multò minus erat quàm Principem cum suis posteris, & vniuerso Regno excindere) *& in malitia suffoderunt murum*, quod vt mea fert opinio, ne tantillum quidem abest a vestra in suffodiendo; Parlamentariæ Domus muro machinatione. Quænam est Iacob de facto sententia? *Maledictus illorum furor quia pertinax, & indignatio quia dura.* Quæ maledictio propiùs, si fieri possit, quàm ipsum factum comparationi correspondet. Quem enim fugit quòd malitia cùm in mentis ardore tantum insideat, vt ignis in stipula quam-primùm accenditur, quamuis magnam flammam diffundit, tamen cito absumitur, & solummodò fumus relinquitur; at cùm in conscientia insederit, vt ignis in chalibe, *quod tarde acquisiuit diu retinet*, tunc eiusmodi signa fiunt monumenta. Quod ad notam quam Iacob illis inurit, cùm vocet *vasa iniquitatis bellantia*, protestari possim & te, & *Greenwellum* & cæteros execrandæ huius machinationis affines iustiore de caussa hac notâ inurendos, quàm Simeon & Leui, quanto indignatio vestra cum illorum indignatione ex æquo collata infinitis gradibus durior erat. Quamuis enim nefandum

dum illud facinus (Laus Deo cedat) non fuerit peractum, tu tamen *Garnete*, nosti quis est qui consensum nostrum intra mortalis peccati limites & censuram constringit, & quis Patrum dixerit, *Quod deest operi inest voluntati.* Lex Angliæ Municipalis proditionem vel cogitatione conceptam puniret, si inquisitionis oculus eousque penetrâret, itaque diuina prouidentia in clade ex sua benignitate præuertenda, vestram in machinando voluntatē minimè absoluit. Ex decursu temporum, & rerum gestarum obseruatione prudentiores obseruant nefaria scelera ad Remp. disturbandam raro concepta fuisse absque Sacerdotis consilio & auxilio in primo, medio, vel extremo Tragœdiæ Actu, idque continuò cum eiusmodi coniuratorum *Choro* ad scenam instruendam; dum magnorum Principum vitæ & res in angustias redactæ vniuersa fortunæ aleæ subiecerint. Dum enim Moyses cum Deo in monte colloqueretur Aaron frater moræ impatiens (vt plerique rationis Ecclesiasticæ in suis cupiditatibus) statim vitulum aureum ad Mosis vexationē & diuini numinis iniuriam efformauit & adorauit. Abiathar damnatus erat quòd contra Dominum suum cum Sunamita & Ioab consilia sociâsset. Qua intemperie, & quo tumultu Sacerdotes nonnulli incunabula Ecclesiæ, in eiusdem infantia hæresibus (quæ factionum semina) disseminandis agitârunt, neminem qui historiam Ecclesiasticam perlustrauit, latere potest.

Odo Episcopus Baiocensis in carcerem a fratre Guilielmo Primo Rege Angliæ vt seditionis architectus coniectus erat, qui etiam posteà cum Roberto *Moritoniæ* Comite coniurauit de Rege Guilielmo *Rufo* abdicando, contra quem etiam Galfredus Episcopus Constantiensis aperta rebellione Bristoliæ castrum communiuit.

Quod Rex Richardus ille *Thymoleon*, siue *Ceur de Lion* in sacro bello celeberrimus interceptus erat ab aduersarijs & captiuus detentus, malis artibus Sauarici Episcopi Bathoniensis effectum erat.

Geruasius plebeius ille concionator cum Lodouico Franciæ Regis filio Angliam ingressus est, certo consilio regiam Angliæ

Angliæ stirpem extirpandi, & Francicam in hoc regno inserendi.

Clerici, vt author est Monachus Cestrensis, *fautores erant seditiosi illius exercitus rebellium*, qui contra Regem Henricum Tertium *Exercitus Dei titulum* sibi arrogarunt, quamuis à Pontificio Legatò *reputati filij sunt Belial.*

Priusquàm Isabella vxor Regis Edwardi Secundi nefarium facinus de abdicando marito vt filium execrando consilio in Regiam dignitatem proueheret, admittere ausa fuerit, pestiferam colluuiem concionatorum, quorum iudicium præiudicio quodam in Rempub. corruptum erat, vt hominum animos falsis suggestionibus ad Imperij mutationem quam sibi proposuerat excitarent, subnisit. *Adam de Orleton* Episcopus Herefordensis author erat & fomes continuus huius dissensionis inter virum & vxorem, occasione arrepta ex concione Oxoniæ habita coram Regina & Rebellibus in illum scripturæ locum, *Caput meum doleo*, vt exprimeret, cùm iam Rex deprauatus erat, quanta mala in Remp. ex capite corrupto quod præfuit, redundârunt.

Sacellanus ille *Walteri Tyleri* profligatissimi rebellis qui author erat ductori suo, vt tu *Garnete* sectatoribus tuis, vt cum Præsules tum Proceres funditus tolleret, quis erat nisi *Ball* sacrificus.

Cùm Glocestriæ Duce contra Regem Richardum Secundum Oswaldus Episcopus Gallouidiensis Primarius erat sceleris fabricator.

Sacerdotes & fraterculi erant qui ementitum Richardum contra Henricum Quartum subornârunt, è quibus octo ex ordine Minorum suspendio ad *Tiborne* perierunt. Et Maudelinus ipse qui Regis personam induerat, ne quid deesset, vt ex eodem choro esset, ex ordine erat sacerdotali.

Scroopus Archiepiscopus Eboracensis contra eundem Regem cum Northumbriæ Comite coniuratus capite luit.

Beuerleius sacerdos inunctus ne cæteris in seditionibus tumultuosis inferior haberetur, contra Regem Henricum Quintũ cum *Ioanne Oldcastle* Barone de *Cobham* coniurauit.

Literarum

Literarum exemplar ipse vidi quas *Chichleius* pręsul prudens & doctus,& qui vestræ professionis, ad eundem regem dedit, cui erat Cancellarius, grauiter eum admonens, vt sibi caueret, ne Legatum Pontificium in regnum vt hìc resideret admitteret. Quandoquidem anteactis temporibus periculosi tumultus ab eiusdem ordinis hominibus fuerant conflati; quasi digito indicans Henricum *Beaufort* Cardinalem, qui posteà author & actor erat maiorum malorum quàm vel expectari, vel timeri poterant.

Sacerdotes & fraterculi erant qui primo Edwardi Quarti anno, cum Iaspere Penbrochiæ Comite contra Regem seditionem concitârunt, & posteà authoritate Parlamentaria proscripti & morte mulctati.

Ex ordine sacerdotali erat ille D. *Shawe* quem Richardus Tertius præconem è Paulino suggesto constituit ad promulgandum ius suum iniuriosum, contra iustissimam innocentum Principum possessionem.

Impostor ille qui Lambartum puerulum ad ementiendam Ducis Eboracensis personam, & ius vsurpandum contra fœlicissimam duarum Rosarum coniunctionem subornauit, Sacerdos erat ex Hibernia. Ex quo hoc obiter obseruo, quòd quemadmodum tunc sacerdos ille Rosarum vnionem præuertere, sic nunc duo sacerdotes *Greenwellus* & *Garnetus* Regnorum vnionem præcidere quàm poterant obnixè operam impenderunt.

Monachus ex *Hentonia* erat qui spe fallaci Buchinghamiæ Ducem ad ruinam tantæ familiæ, quanta non altera in Europa (inter eas quæ Regium nomen non gerunt) illexit, vnde & mihi & cæteris qui ab illo prognati, vulnus inflictū.

De pontificibus illis Romanis nihil dico, qui sæpiùs gladium Pauli furendo, quàm claues Petri instruendo exercentes magnos tumultus excitârunt, nec de tribus illis potentissimis Cardinalibus, Eboracensi, Lotharingo & Atrebatensi nostra memoria, qui singuli elati ingenij & rebus agendis vividi, non socordiæ aut pigritiæ (nescio an temporis malè collocati) dum superessent, rei peragendi, nec de Ecclesia-

sticis illis loquar, qui docendo ex suggestis & proditorijs decretis subscribendo Henrici octaui filias natalium iure exclusęrunt, dum superbiæ & ambitioni eorum qui regnum affectarunt, inseruirent.

Tacitus prætermitto vesanam *Knoxi* & *Goodmani* contra duas illustrissimas Marias Scotorum Reginas, alteram Regentem, alteram regnantem, nostris diebus incursationem. Sergij Monachi subdola consilia vt Turcam in Orientis Imperium induceret non excutio, nec Pseudoprophetarum illorum qui stirpem Xerifi in Mauritania constabilierunt. Mihi propositum est superioris æui machinationes cum hac recenti componere (magno licèt interuallo omnes omnium temporum lòngè superat) vt fideles subditi ad exactius spirituum examen, perspiciant sacerdotes nonnullos in republica Christiana perinde ac *Salios* Flamines Martiales Romæ vigente Paganismo voluptatem faculis ardentibus iactandis percepisse, vt prauos animos & peiores conatus inflammarent. Sed diadematis imperialis circulus si semel vel tantillùm infringatur, consolidari haudquaquam potest, & nerui semel incisi, nunquam integrari possunt, nec fieri potest vt sit *integralis vnitas in solutione continui.* Hoc itaque cum graui & erudito iudicio Sozomeni veteris scriptoris Ecclesiastici concludam, *Vniuersim accidere in sacerdotum dissidijs vt Respublica motibus & turbis agitetur.*

Verisimile est *Garnete*, quòd si Reginæ Elizabethæ exile illud vitæ stamen diutius ad caliginosos istos dies productum fuisset (qui nubeculam fulgori spei vestræ blandientis obduxerunt, ex quo tam incomparabilis Regis successio in hoc Regno sit constabilita) illa inauditum aliquod & Regni & personæ periculum inter vestros cuniculos & occultos fulminei pulueris tractus subijsset, quandoquidem gladium selectorum quorundam è vestra societate sanguine ex legum authoritate cruentasset. Quandoquidem mitissimus hic Princeps qui ante aduentum in Angliam semper leges in lacte scripserat, & ex quo aduenerit anxiè fuit sollicitus ne sanguine scriberet, vix aut ne vix quidem vel ex gratiosis suis promeritis,

meritis, vel ex peruigili eorum qui a sanctioribus illi consilijs cura, a laniena securus esse possit. Regis inuncti cædem in aliquo æuo religioso vel æquo habitum fuisse vel fortitudinis proprium, vel ad Martyrium gradum nec dum legi, nec sane credo. Non putâram nisi hæc demonstratio *probatiua* accessisset superesse in orbe terrarum aliquem, ex quo Georgius Buchananus in viuis esse desijt, qui Regicidis æquè ac Tigricidis præmia proponeret & proclamaret. Nisi verò impossibile esset (quod nunc non sine ægritudine sensi) vt aliquis fidelis animi igniculus in perturbationum Oceano tam extra modum æstuante superesset; a te & tuis *Garnete* propensioris voluntatis fructus erga tam mitem & mansuetum Principem expectassem, qui nunquam vlcera nisi pendula & tremula manu tractat, & in scrutando magis expetit *non inuenire quod quærit, quàm inuenire quod puniat.* Etenim vt verum sine assentatione eloquar (quam vt excelsi & generosi animi venenum auersor) nonne te, & tuos, Rex noster maiori gratia & pluribus beneficijs benignè prosequutus est, quàm superiori tempore quouis modo expectare poteratis? Annè Regina modo defuncta tot Catholicos Equestri dignitate vnquam ornasset, quot Rex primis Regni auspicijs ornauit? Illa ne Regina vel ad personam, vel ad Aulam omnes Catholicos, vel aliquos è Catholicis tam libere admisisset? Quod a Rege factum (non solùm ex iustis occasionibus, sed in eorum solatium) idque pro ipsorum arbitrio, nullo inter ipsos qui antequam aduenerit lætanter spem expectati illius diei salutarunt, & alios qui eundem præuertere studuerunt? Nonne Iustitiæ ianua *Troiano Tyrioque*, Protestantibus & Catholicis æque patuit, eademque conditione qua iam inde patuit, vt ora turbulentissimis obstruerentur? Annè Regina illa in alicuius Catholici fide tantum reposuit, vt sine diffidentia ipse Legationem apud exteros Principes delegaret? Annè Regina Catholicorum præcipuos euocasset, vt iustis eorum querelis Consiliarijs Regijs exhibitis remedium cum fauore adhiberetur? Poterantnè Catholici melioris notæ, illa regnante, apud suos viuere, de prædijs & beneficiarijs disponere

& voluptatibus suis perfrui, nec alia quauis mulcta quàm quæ legibus erat irrogata? Liberumne fuit Catholicis qui mulctas impositas suo tempore in fiscum Regium non persoluerant, componere cum Delegatis ad id constitutis, & pro quo voluerunt tempore, & pro qua pecuniæ summa satisfacere valerent? Eone vsque Reginæ illius misericordia Catholicis impertita, vt in prædiorum suorum integra possessione ipsos posuerit, & ex eorum manibus eripuerit qui damna fecisse comperti, sine vlla alia contributione, aut taxatione quàm quæ a legibus præscripta? Fuitne illa vnquam solicita vt in illos qui ex afflictis Catholicorum rebus quæstus prædasque sibi fecerant, vltra quam ex certo regni iure licuerit, animaduerteretur? Liberumne fuit (illa superstite) subditis cuiuscunque professionis qui rei militari addicti sub quocunque Principe vel republica stipendia sine exceptione vel punitione mereri? Anne nupera illa tempora dolescentulis Nobilibus quibus exteras regiones inuisendi licentia data, permissum erat pro arbitrio quæcunque voluerint loca, Principum Aulas, vel cœtus adire in nullam post reditum quæstionem vocandi? Fierine poterat vt ab illa vel restitutiones vel pensiones ad Catholicos sustentandos ratione operæ vel prædecessoribus vel progenitoribus nauatæ impetrarentur? Adeone cauta fuit illa in Sacerdotibus & Iesuitis summo iure tollendis, priusquam Status quæstionis illi per Iudices innotesceret? Fuitne quispiam è Magistratibus, Regina illa sceptra tenente, ad rationē reddendam vocatus, eò quòd in sacerdotem cui facultas non erat Diploma gratiæ sibi comparandi, & in carcere, ex quo illa obierit, conditus fuerit, sententiam tam longo post tempore tulerit? Visumne vnquam fuit illi Reginæ vt in Generali illa criminum gratia sub finem Parlamenti etiam Sacerdotes & Iesuitæ comprehenderentur; & inter cæteros tu & *Greeenwellus*? Qui vere ineunte huc eo nomine tam flagrante ardore, quàm vnquam ad *Iubileum* aduolastis; pro illa tamen gratia iam inde tantæ gratiæ & clementiæ largitorem per vestros incendiarios in altum efflari & è medio tolli voluistis?

stis? Aliquis probabili ratione existimaret & te & cæteros quos ad hoc facinus excitasti & persuasisti, cùm tot à tam benigno Rege talenta in regia quadam fiducia acceperitis, omnes industriæ neruos adhibituros vt depositum potiùs adaugeretis, quàm sub terra inter sulphureas machinationes defodiendo imminueretis. Maximè verò cùm rex noster non eiusmodi sit quem S. Lucas memorat, *homo austerus qui tollit quod non posuit, & metit quod non seminat*; sed potiùs expetit cum Moyse ex libro vitę deleri, cumq; Paulo Anathema fieri in bonum subditorum. Serenissimus noster Dominus non peregrè proficiscitur vt ille alter *in longinquam regionē vt accipiat Regnum*, sed regnum vnà secum ex proxima regione in nostrum attulit, vt nos qui tot sæculis labentibus animis seiuncti fuimus, iam inde viuamus *vnanimes*. Sed ita naturâ in quamplurimis hominibus comparatum est, præsertim in te & tibi in hoc facinore coniuratis, vt quod ille dixit, non *tam agunt gratias de Tribunatu, quàm queruntur quòd non sunt euecti in Consulatum*. At cùm tu vel alius quispiam tui animi & professionis ex ingenio vel chymicè excocto, vel Thesibus Politicis, vel ex communi sensu probare poteris Principem tam vestræ religioni oppositum, quàm vos estis ipsius religioni aduersarium, quique vouet non solùm diademata, verùmetiam vitam & successionem fundamentis eius religionis quam ab incunabulis cum nutricis lacte hausit superstruere, mitiùs cum Catholicis egisse, quàm ille hactenus egerit, sine offensa tenellæ conscientiæ sui ipsius Ecclesiæ quam maximè reueretur: libenter agnoscam iustiorem vobis subesse caussam conquerendi, quod vltima est in subditorum potestate periodus, quàm (vt nunc res se habet) admittere possum, dum in pericula impendentia simplici oculo qui nec philautia præstringitur, nec leuibus obiectis distrahitur, intueor. Quamuis enim aliquid fortasse vastæ vestræ cupiditati cumulata mensura deesse cogitare potuissetis, omnibus tamen exploratè cognitum est, quòd plura quam probabiliter sperare poteratis, consequuti sitis. Quod vobis in mentem magis æquatis cogitationibus libratam il-

lud prudentissimi authoris iudicium reuocaret, *inter volupta-tes tam numerari id quod habes quàm id quod speras*, quod per-uerso interpreti vtile monitum.

Syrtis illa è qua sententiarum vestrarum & Decretorum armamenta, & quasi muralia tormenta contra Respub. & singulos Principes, qui ad amussim vestram se non dirigunt, libratis, nisi me fallo, potius est quædam Idea incerta, quàm certa veritas, Prærogatiuæ cuiusdam quam Christus Seruator noster Ecclesiæ suæ in *deposito* reliquerit, ad Principes contumaciæ conuictos de Imperij solio deturbandum. Nam vt maximi philosophi ex tribus confluentibus principijs Materia, Forma, & Priuatione, vniuersa componi diffiniunt, & hanc vltimam ex tribus, principium potius esse transmu-tationis, quàm compositionis; ita Scholastici Theologi intra sexcentos annos iam proximè elapsos, in Ecclesiasticam di-sciplinam nouum Priuationis genus præter Materiam, (quæ grex est) & Formam (quæ regimen est) attraxerunt. Atque hæc *Priuatio* procul dubio non pauciora Regna & Respub. quàm illa altera formas & figuras metamorphosi quadam transmutauit, si vel maiestatis querimonia, vel patientiæ gra-uamina ad numeros reuocentur. Ego cum Samaritana lubens agnosco non solùm puteum esse profundum, sed etiam situ-lam quæ par sit ad hauriendum ex eiusmodi puteo, mihi om-nino esse nullam. Quæuis enim bolis non cuiuis vortici, nec quæuis linea cuilibet libellæ conuenit, nec ex quouis ligno fi-eri potest Mercurius. Verumenimuerò cùm *Robertus Winte-rus*, *Rookwoodus*, *Guido Fawkes*, & alij confessi sunt errorem suum in hac conclusione credenda ex doctissimi cuiusdam vi-ri fide (qui vt iam constat ipsissimus eras) fuisse primariam caussam & efficientem funestissimi sceleris ab ipsis intentati. Cùmque etiam eadem ratione meis votis consentaneum sit quot possim ex erraticis illis & misellis ouibus reducere quę *Absolon* sectatę sunt, *sed corde simplici & penitùs caussam igno-rantes*, a vestro *Acheldama* vel sanguinis agro (dum mecum reputo quot sacerdotes superioribus hisce annis in classico canendo versati sunt) vt aliquid ad confutationem nec minus

cautionem

cautionem proponatur, lubentiori animo zelum & officium meum in hoc argumento periclitari volui, quamuis viribus sim impar, & simul in futurum coniurationum fundamenta quantum in me sit labefactare.

Priusquam tamen ad hoc certamen me accingo, vel in hanc arenam descendo (in qua tot Antagonistas expecto, quot sunt homines quibus Reges circumscribere vel debellare animus exardet) me tam officij, quàm methodi ratione constrictum teneri arbitror, ad exilem illam perfidi vestri animi excusationem abstergendam, dum hanc doctrinam coercendi, suspendendi, & Principes ab imperio abdicandi proponitis, hoc solummodò fundamento innixi quòd in exteris Regionibus eandem nec asperiùs reprehensam, nec supplicio obnoxiam inuenistis. Vt illud *Axioma* omittam quod subditos singulos cuiuscunque conditionis obligat, vt actiones suas potius ad Leges Patriæ in qua viuunt, quàm in qua vagātur dirigerent; vt etiam taceam quàm parùm probabile sit te, & tuos in tam densa ignorantiæ caligine versari, vt hoc Politicum *Axioma* in omnibus Angliæ tribunalibus quasi trabali clauo infixum nesciretis; mihi præterea hoc vobis dicendum, Principes minimè metuere ignes in exteris Regionibus accensos, priusquam scintillæ vel in proximorum ædes, vel ipsorum Palatia diffundantur. Otiosi spectatores & magni mercatores non eodem sensu periculum metiuntur, quod nauibus opulentis mercibus onustis in mari, vel a sæuis piratis, vel insanis tempestatibus intentatur. *Qui sani sunt*, vt tu Garnete, *sanitatem* interpretaris, *nec medicis egent, nec metuunt medicinam*, Obtusæ sunt eorum aures, & ad Musicam ineptæ qui cùm Fortuna modulatur, & omnis generis instrumenta ad plenam harmoniam conficiendam vno tenore disponuntur, numeros obseruare non possunt. Galina fœta & glociens pullos suos congregando fouet, quamdiu pro suis habet, at quam primùm a tutela suarum alarum abscedunt Miluo ad prædam relinquit. In hac caussa non vlterius inuestigabo quousque Principes æquo animo ferrent, simodò perinde furenter ac Rex noster Serenissimus, exagitati fuerint,

rint,

rint, quam obseruaudo quodnam obsequij genus nonnulli Regij ordinis præstiterunt, cùm eodem telo sauciati essent. Multi etenim in furibus qui aliena furantur persequendis sunt admodum tardi, qui cum res suæ aguntur, sunt Aquilis velociores, & *hic si fuerint, aliter sentirent.* Atque in consimilibus caussis prudentes experientia duce ad similia remedia se recipiunt.

Quod si in vestro Pharmacopolio nulla sunt medicamenta ad acrem illum humorem purgandum qui tot ardentium febrium & tantæ intemperiæ in hoc regno caussa fuit, quàm vestrum *Diacatholicon* ingenuè dicam, quòd regis stomacho tantum aduersatur, & in naturam tanta cum violentia & nausea vires exercet, vt maluerit dolorem perferre quàm illum boletum deglutire, & quęuis potiùs perpeti quàm illo remedio vti. Dum res ita se habet, suis ipsius pharmacis quæ tempus & vsus familiaria reddidit, ille vtetur, vt cęteris Principibus pro suo arbitrio (quod omnia pharmaca ad sua palata sicut *Manna* faciat) quicquid suo ipsorum appetitui inseruiat, recipere liceat. Principes nunquam nimis suspicaces esse possunt, cùm ipsorum vita petatur, nec subditi nimis soliciti cùm Respublica incendatur. Memini cùm *Iosuah* vnicum hominem qui ex *Iericho* venerat cum gladio stricto adstantem vidisset, illico interrogauit, *Noster es an aduersariorum?* quasi ad amussim nos qui ad hanc caussam cognoscendam authoritate Regia delegati sumus, dirigeret, qua ratione & qua cautione te & *Hallum* (nam *Greenwellus* iam effugit) examinaremus. Vos etenim non vnum gladium vt ille alter, sed binos simul distrinxistis gladios (spiritualem sc. & secularem contra Regem nostrum Serenissimum) & simul penitiùs inquireremus quo tempore, quo in loco & quomodo tu & subordinati coniuratores arrepta occasione Regi nostro vulnus infligatis.

Cùm etenim videamus vsu receptum esse etiam inter priuatos vt prædijs litigiosis quæ intercipi possint, securè vtantur fruantur, vt clientium, famulorum, & beneficiariorum suorum animos & studia dum in metu versantur, vel ex suspicione

picione doli mali rimentur, multò magis oportet Principes magnos (à quibus respublica & successiones dependent) cùm summa rerum in summum vocetur discrimen, subditorum animos & studia quàm possunt arctissimè sibi conciliare, ne si accidat cùm periclitandum sit, *vt non sint nostri sed aduersariorum*, & ita pro aduersa parte gladios stringant, spem in illorum fide positam fallant, nos cum *Rachel* plorare filios nostros *quia non sunt*, possimus, & serò opem implorare cùm *Destructio* pro foribus *Desolationis* adstiterit.

Hæc doctrina *Garnete* non ex putidis vasculis, vt aliqui vocitant, nec è fœculentia proximè superiorum temporum quæ tibi suspectiora, hauritur; nec minimum quidem præiudicij, vel inueteratę suspitionis gustum ex particularibus præ se fert. Nullum vel nominis vel imputationis discrimen inter Catholicos & Protestantes interposuit cum primùm in lucē prolata fuisset per illos Principes, Respublicas, & Theologos qui Catholici habiti, & quorum nonnulli in vestris Kalendarijs in Sanctorum numerum sunt relati. Ad quod comprobandum in publicis regni Actis Diploma inuenietis cuidam *Waletono* a Rege Richardo Secundo concessum ad perscrutanda singula nauigia exportantia, & importantia in portu Ciuitatis Londini, & itidem ad excutiendos illos qui *Bullas vel alia Papalia instrumenta deferebant*.

Eodem Richardo regnante, Guilielmus *Bryan* ex ordine equestri in arcem Londinensem contrusus erat ea solummodo de caussa quòd *Bullam Papalem* contra eos qui eius ædes deprædati fuerant, comparauerat, (quamuis ex iure Cæsareo *abundans cautela non noceat*) & ipsas *Bullas* Prærogatiuæ regiæ præiudicio fuisse adiudicatum erat. His Stephanum de *Malo-lacu* adiungo qui sub Rege Edwardo Primo malè mulctatus erat, quòd *Bullam Papalem* nec rege, nec Consiliarijs consultis contra aduersarium executioni mandauerat. Rogerus *Sherbrooke* in ius erat vocatus quod *Bullas* a Romano Pontifice *in contemptum Regis & Coronæ exhæredandæ periculum procurasset*. Quæ æquissima tunc temporis erat constructio de eiusmodi procedendi formulis. Rex Edwardus

Secundus vt ex sacris regni scrinijs constat, quosdam diplomate delegauit, ad indaganda *Processus* vel sententias se inconsulto Roma in Angliam delata. Adhæc certum est quòd Edwardo Tertio regnante, omnes portus ex Regis mandato ad *Bullas* intercipiendas fuerint obseruati. Commeatus siue fides publica Archiepiscopo *Rauenati* in Angliam aduenienti ab Edwardo Tertio cum hac tamen cautione concessa erat, vt tantummodo Sanctas Papæ exhortationes enuntiaret, *Breuia* autem nec emitteret nec sententias ferret *in Coronæ & Regni præiudicium.* Minimè licuit illis temporibus quascunque literas vel a Pontifice Romano, vel quouis extero Principe in Angliam perferre, nisi Cancellarius, vel v. Portuum Præfecto priùs consulto, quod vt mihi videtur, haud magnam intercessisse confidentiam innuit, tunc etiam cum maxima inter eos intercessit necessitudo. Rex Edw. III. Nobilibus quibusdam qui de pace cum Gallis coram Papa tractaturi erant, præscripsit vt magna cum cautione agerent, *non tanquam coram Iudice, sed coram priuata persona & non in figura iudicij, sed amicabiliter.* Cùm Scoti omnes lites inter hæc Regna Papæ conscientiæ & arbitrio permitti expeterent, Proceres Angliæ assensum præbere omninò abnuerunt, quamuis Rex ipse pro innata facilitate eo propenderet, quia asseruerunt, *Reges Angliæ super iuribus suis coram aliquo Iudice vel Ecclesiastico, vel Seculari nec responderunt, nec respondere debeant.* Vt summatim dicam, hi suspitionum igniculi inter Ecclesiam Romanam & maiores nostros superioribus sæculis adeò erant accensi, quamuis illi nec *Lutherani* nec *Hugonotti* (ita in hoc Religionis discidio vocitantur) sed ad Romanam institutionem Catholici, vt a Regni prudentibus sancitum fuerit, quod *Papalis Collector* quamprimùm in Angliam appulerit, conceptis verbis iuraret fidem erga Angliæ *Coronam* se præstiturum, nihil in Regis præiudicium vel Legum imminutionem moliturum, nullum Papale decretum ad Regiam Prærogatiuam infirmandam executioni mandaturum, nulla præcepta vel literas a Papa priusquam à Regio Consilio examinarentur & approbarentur

tur traditurum, nihil ex Anglia nisi impetrata prius à Rege venia, ad Papam scripturum, nec in caussis Beneficiorum Ecclesiasticorum quicquam ampliùs quàm sanctius Regis Consilium permitteret, acturum, neque sine venia sub priuato Regis sigillo ex Regno discessurum.

Hæc sane sunt asperiora & eiusmodi, quæ nunquam exterorum Principum administris ab Angliæ Regibus pace vigente proposita fuerunt. Nulla tamen huiusmodi decreta vel calumnias in Regem & Regnum tunc fuisse immissas legimus, cuiusmodi hisce nostris diebus intonant frequentissima. Alij Principes suo se præsidio itidem communierunt, & eadem circumspectione sibi consuluerunt, vt Philippi *Belli* Regis Galliarum exemplo perspicuè clarum, qui de peremptorio Papæ Decreto contra ipsum certior factus, quod Episcopum qui ipsum conuitijs consectatus erat, in carcerem coniecisset, à Regni proceribus tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus in publico Conuentu quæsiuit, quousque in ipsorum fide & obsequio non obstante illo decreto acquiesceret, responderunt, *Vnanimo consensu se illius tantummodò esse beneficiarios*, & quicunque Papa vel Princeps contra Regiam eius Prærogatiuam vel cornua exerere, vel cristas erigere auderet, ad mortem vsque vnà cum illo se fortissimè opposituros.

Si Principes omnibus numeris absolutè ad Romanam amussim Catholici, qui vno Canone directi, vno plectro concinentes, vnius summi pastoris vocem obseruantes, & inter quem & Papam *cor* erat *vnum* & *anima vna* tam iustas causas & graues habuerint rationes (licèt in omnibus quæ ad conscientiam vel conformitatem spectant, erant coniunctissimi) vt seculari suæ ipsorum Prærogatiuæ anxiè & cum suspicione consulerent, & vestigia Papæ prorepentis in aliena quæ nec Ecclesiæ, nec Ecclesiastici iuris erant, vigili oculo obseruarent: quanto magis solliciti debeant esse fideles subditi & iurati famuli hisce nostris diebus de suo Principe qui (vt iam res se habet) ex alia radice succum trahit, alterius pastoris voce dirigitur, & tam studiosus est vt resonnet, quàm eius

maiores vt se conformarent, dum ad alium Indicem & in alio littore nauigarent? Si quis ex Regni Archiuis non vult hac in re edoceri, Cryptas ille & Tartarei fulminis tractus sub Parlamentaria Camera perscrutetur. Si regnante Henrico Secundo qui quoad conscientiam *obedientissimus erat Ecclesiæ filius*, Viuianus Papæ Legatus accuratè erat excussus & examinatus ab Episcopo tum Eliensi, tum Wintoniensi (qui eiusdem erant professionis & sub eodem signo militarunt) qua authoritate fretus in hoc Regno terram conscendere sine speciali Regis licentia auderet, & ab ipsis ad iusiurandum *in verbo veritatis* adegerunt, vt nihil contra Regiam authoritatem moliretur. Quanto vigilantiores & magis sollicito animo esse debeamus in admittendo *Greenwellum*, *Hallum*, & *Garnetum* cum suis *Bullis* & Censuris *in Regis & Coronæ praeiudicium*, nihil inquirentes, cùm non illis sit propositum vt iam antea *implere manum*, sed replere cœmiterium, & homines ingenio tumultuanti & irriquieto ad arma contra Serenissimum Dominum nostrum Regem Iacobum concitare? Quamuis autem Papa qui in hoc prę alijs prædecessoribus moderatus & prouidus nondum Regem vt marcidum & infrugiferum ramum absciderit, præcipitatæ tamen & cerebrosæ eorum vertigini satis videtur, (hoc enim *Guido Fawkes* & alij confessi sunt) quòd Papa *Bulla Cœnæ Domini* omnes & singulos schismaticos generatim excommunicat. Quanquam Theologi & Canonistæ præstantiori inter Scholasticos iudicio ex diametro ad *oppositum tenent*, nullam conscientiæ securitatem præstare audent, ex illa censura quam probabiliter potius *narratiuam* quàm *actiuam* opinemur, cum Processus nullus subsequatur. Hoc ex Actis publicis de Henr. I I. in mentem mihi reuocat nuncium perquam simile quod Alex. I I I. Rex Scotorum ad Pontificium in Scotiam Legatũ post illa tẽpora misit. Cùm Legatus ille singulis Parochijs 4. argenti marcas & singulis monasterijs in illo regno 80. marcas in Belli sacri subsidium imponere statuisset, Rex Alex. illi imperauit ad Regni fines *subsistere* & per literas mandata exponere. Nam neque Scotia quantum exegit Legatus repræsentare poterat, neq; etiamsi

poterat

poterat non in animo erat per tam infortunatū Legatum tam ingentē pecuniam mittere, qui conquestus erat se spoliatum fuisse pecunia quam in alijs Regnis antè collegerat, suo ipsius labore irrito & aliorum Catholicorum stipe collata dispersita. Deniq; Rex delectum aliquem militum ad vires Christianorum adaugendas obtulit, (ad quod Legatus non collineauit) sed non opes ad arculas complendas (quod Legato solummodò erat propositum) & mille Marcæ ad Papam in beneuolentiæ argumentum erant submissæ, quæ huic Legationi finem imposuerunt. Hoc responsum Rex Angliæ egregiè laudauit quæ idem expertus sapiebat, vt author est Hector Boetius Romanè Catholicus. Non mihi in animo est hoc in loco Episcopi Scotici iudicium adiungere, scilicet exactiones huius generis tyrannicas esse. Qui etiam admonuit illius Regni Ordines vt Legatus non solùm vacuus dimitteretur (perinde ac illi qui vt habet Propheta *dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis:*) sed etiam vt in illo Ordinum conuentu Lex sanciretur ad eiusmodi Legationes prouido consensu inhibendas, quæ in futuro ad Remp. exhauriendam facerent. Quod ab vniuersis scitum & sancitum erat.

Admodum lętus audiui & approbaui distinctionem illam & differentiam quam in altera parte orationis tuę interposuisti inter Regem Dominum nostrum (qui nunquam Romanę Ecclesię fascijs inuolutus, nec in eiusdem Ecclesię sinu versatus) & alios Principes Romanè Catholicos, qui primùm in eandem vnione insiti, & postea ob contumaciam ex eadem exsecti. Hoc enim aliquid est, quamuis ego satis esse non iudico. Pręterea etiam quilibet a vobis in pondere scrupulus in lucro deputandus qui bilancem tam iniqua & incerta manu libratis, vt illud insuper S. Pauli, qui Ecclesiam prohibet vel saltem se prohibitum esse profitetur, eos *qui foris sunt* iudicare, inter quos & Regem reputatis (quod vos admittitis & vestra expositio patiatur.) Verùm fieri non potest vt qui non perfectus sit Gileadites, Shiboleth nisi blæse pronunciet, quomodocunque aliàs aquam *curuatis genibus* biberit.

 Ita

Ita verendum est ne a fundamento quod tuis manibus iecisti illico resilias, & ad quęstionem propositam, quid tibi videtur *de priuatiua* Papę contra regem nostrum sententia, simodò ille vel successorum aliquis posthęc aliam iniret rationem a moderatione quę hactenus fuit adhibita; vocales tuę in mutas, demonstrationes tuę in dubitationes, eloquentia tua in altum silentium transiret, vt conclamatum esset de homine tam repente ex vna interrogatiuncula obmutescente, & elingui ad supremum testamentum conficiendum, *vt vnusquisq; Theophrasti discipulum te posset agnoscere.*

Nunc reliquum est quò promissi fides liberetur, & curiositati satisfaciat, vt ex clarissimis indicijs, syncerissimis & minime corruptis testimonijs, & compendio quod in tam vasto Oceano index meus admittere potest breuissimo, dilucide demonstrem nullum Patriarcharum *ante Legem*, nullum Leuitarum, & Prophetarum *sub Lege*, neque Christum vel Apostolos, neq; aliquem Sanctorum Episcoporum qui annos mille Ecclesiæ Dei in *auditu nouo* pręfuerunt, vnquam id genus iurisdictionis vel aliquam eius particulam quę pertinet ad Reges suo iure exspoliandos, a suo imperio suspendendos, vel e suo solio submouendos exercuisse, approbasse, vel sibi arrogasse. Hic pyrobolus ille est qui tantas clades, tantamque perniciem Monarchis accendendo, inflammando, & comburendo accumulauit.

Ante Legem quamuis diuino numini visum fuerit ob mandatum violatum, *Adamum* è Paradiso (quæ Ecclesiæ typus est) exturbare vt in pœnam culpæ *sudore vultus* laborem pro eo subiret, quod anteà *beneficio Creatoris* sponte prouenerat, illi tamen vniuersi orbis terrarum Monarchiam reliquit. Hæc alia erat procedendi formula ab illa quàm plurium Romanorum pastorum qui sibi claues S. Petri vendicantes *κατ' ἐξοχὴν* vi & virtute *putatiua* authoritatis illius ex offensa, & nonnunquam caussa inauditâ Principes non solùm ex gratiæ statu deijcere, verumetiam sæpenumerò maiestatis insignibus exuere desudarunt.

In submouendo impium illum *Cain* à Dei facie (quæ eadem

dem est censura qua Ecclesia hodie vtitur tradendo Satanæ, quia hi duo non vna sede morantur) non legimus quod statim ac sententia lata fuerit, grauissimum hunc peccatorem in scandali signum fuisset propositum, ad quod vel iustitia dirigat, vel error collineet, quemadmodum Rex Serenissimus noster, in quem tela & hastæ amentatæ nuper fuerunt euibratæ. Tantum enim à diuina prouidentia aberat, vt aliquam creaturam vel minimo damno exponeret, multo minùs vt *Cainum* hæreditate exturbaret. Quod autem ad vitam, securæ tutelæ in eo *signum posuit, vt omnis qui eum e medio tolleret septuplùm puniretur*. & amplum illi hæredium reliquit in quo per vniuersum fere orbem terrarum ambularet. His duobus tertium adiungam, *Esaum* videlicet filium illum perditum, quem (licèt cœlesti illa benedictione fuerit depriuatus qua beati seminis merito & sacro-sancto fœdere in *plenitudine temporis* cœlitùs præfiniti, omnes nationes deo reconciliarentur) terrestri tamen possessione locupletatum, quoad personam securitate præmunitum, & posteritate sua longè lateq; diffusa adauctum nouimus. Imo quod ad Empiricorum nostrorum temeritatem magis imminuendam & coarguendam facit, quibus non alia medendi occurrit ratio, quàm sanguinis missio, vrgeo, & certo sanè fundamento innixus, quòd *Iacob* frater *Esau* natu minor, sed diuina misericordia verus & certus diuinæ promissionis hæres, & post *Esau* reiectum inter Dei Sanctos Principes, breui interiecto tempore non solùm illum *Dominum* vocauit, (quem titulum Spiritus sanctus plenum esse potestatis edocet, ex eodem titulo quem *Sara* marito detulit) sed ad eius pedes demissè prostratus cum oratione amoris & obsequij plena verè & peramanter obseruauit. Nondum enim *venerat hora*, nec post plura annorum millia qua Excommunicati imperio ex *consequente* erant depriuandi, potiùs quam diuinæ castigationi relinquendi.

Inter *Iudæ* & *Leui* progeniem iuxta Legem Mosaicam interuallum tantum & tam amplum erat interpositum, vt neuter eorum vel in alium incurreret, vel alterius muneri se inter-

miscceret,

misceret, vel alterius splendori officeret. Pręterea obseruo quòd inter omnes conditiones *affirmatiuas* & *negatiuas*, *positiuas* & *priuatiuas*, *religiosas* & *politicas*, quę Regibus prima institutione imponuntur, hoc genus iuris quod ab *Aarone* & successoribus ad placitum tenetur, neq; in diplomate exprimitur, neque in fimbria intexitur, neque in Cathedra inciditur, nisi quis argumentetur Reges Iudeę tam obstrictos esse vt Sacerdotum nutui sceptrum submitterent, quàm vt ex ipsorum manibus Legis librum acciperent: quamuis non minore vi verborum in Tribum Iudę transcriptum videmus, nullâ superiori authoritate cuiuis relictâ. Pręterea pernicies quam Deus ore suo Principibus & Hypocritis propter peccata populi immittendam minatur, superuacanea esset, si nobis integrum esset semper in his animaduersionibus & asperioribus correctionibus, Pontifice opitulante, vel pœnitentiam imminuere vel pœnam effugere. Reges castigare diuinæ authoritatis & prærogatiuæ esse particulam sacris literis exprimitur & satis comprobatur. Nulla igitur sacerdotalis iurisdictionis pars est, quæ alio quasi elemento circumscribitur. *Per Deum regnant Reges*, minimè igitur pro Pontificum arbitrio. Deo soli diademata, & dignitates accepta ferunt: iure igitur diuino non obstricti vt Diademata *in manus Papales* tradant præ Papalis iudicij metu, vt nonnulli magis timidè quàm Regiè superioribus sæculis factitarunt, cùm à Papis in iudicium accerserentur. Ab ore Dei Reges mandatum suum recipiunt, Deo itaque soli & non cuiuis alteri *villicationis* suæ rationem reddere tenentur: à viro illo sancto *Iob* dicitur, Deum Reges in suis solijs in perpetuum locare, longè aliter quàm infirmis illis *ex scripto, ex arbitrio, vel ex consuetudine tenuris*. Esto nihilominus quod Reges vehementes & violenti sint, & sua potentia freti insolescant. Quis in eos cum aliquo eorum Maiestatis præiudicio animaduertat? Non Pastor ex authoritate, sed numen diuinum ex prærogatiua. Si Danieli Prophetæ credamus, Regna transferre & constituere Dei solius est, & nullius planè in orbe terrarum Pastoris. In arrogantiæ crimen ille vertet si quis mortalis

talis qui *spiritum naribus tenet*, & nihil est nisi puluis, ab illis rationem exigeret quos vicem suam gerere in terris constituit, vt cuiuis subdito Princeps terrenus vitio daret, si Proregibus à se constitutis repugnaret. Deus in sua lege præceptum nullum tradidit, ad quod obseruandum a subordinato aliquo ministro venia esset roganda; hoc enim posito, homo in sua electione, quàm Deus in sua ordinatione liberior esset. Obseruantia illa quam Aaron Moysi politici Imperij ratione præstitit, omnibus Adami posteris (cuiuscunque sint loci aut dignitatis) qui sub Regio Imperio viuunt, sit instar normæ ad veram pastoralis libertatis latitudinem in hac comparatione deprehendendam. Nemo enim asseuerabit, Deum Principi detulisse imperium (quod ab alio superiore non dependet) quin etiam ab aliorum authoritate intra sui imperij limites ipsum præstitisse immunem. Si igitur quæstio ita proponatur, vt certè proponenda est (priusquam effectum quem velitis sortiatur) an Imperium Angliæ in alicuius superioris sit clientelâ, an non; si *Simancha, Nauarus, Siluester* vel alius quispiam e Scholasticorum Theologorum Collegio, vel Acta nostra publica examinabunt, vel ad Parlamentaria nostra Comitia, in quibus eiusdem generis caussæ disceptari debeant, quia iuxta Theologorum omnium regulas, Religio Ciuilis Imperij rationes non immutat, vel Paparum scrinia euoluent, proculdubiò idem responsum referent, quod Papæ superiori æuo retulerant, idque tam promptè & expeditè, quàm maiores nostri in hac caussa olim consultissimum existimarunt.

Si singularis illa obseruantia quam erga reges Israel & Iudeæ Sacerdotes sub *Lege* adhibuerunt, cùm in illis rebus peccassent, quæ nunc intra Censuræ Ecclesiasticæ cancellos vocantur, accuratè perpendatur, liquidò constabit quòd in quinque libris Moysis, in omnibus Regum historijs ne vnum quidem decretum, ratio aut exemplum legentibus occurrat, *ad formalem processum* asserendum, quem paucis ante seculis Papæ ex quadam contumaciæ suppositione contra Reges & Imperatores temerè exercuerunt. Quamuis e-

X nim

nim plures illorum erraſſe, & in iiſdem gradibus non defiteor; nec vnus tamen Coronæ ipſorum floſculus fuit delibatus, nec vnus capitis pilus ſuo ordine emotus, nec vnus Regiæ Maieſtati ſcrupulus detractus. Minimè dubito quin ſi pro multis ſacerdotibus *ſub Lege* per Reges inunctos, eoſque melioris notæ, videlicet *Dauidem, Salomonem, Ioam, Ezechiam*, & *Ioſiam* depriuatis, vel vnum exemplum de Rege abdicato per inunctum ſacerdotem Leuiticum depromi poſſet, hoc omnibus Italię ſcholis & ſuggeſtis reboarent; ſed percommodè accidit *vt quod præcepto non iubetur, exemplo careat.*

Subdifficile eſſet grauius peccatum in primam tabulam inuenire cuius Saul deuergente ętate non erat reus, de diuina protectione deſperauit, Satanę adminiſtros conſuluit, Prophetas è medio ſuſtulit; perſpicuum tamen eſt quòd ex ſolo indelebili *vnctionis* charactere adeò immunis erat tam contra ciuilia conſilia, quam Leuitica decreta, vt Dauid ipſe illum *Chriſtum Domini*, id eſt, *inunctum a Domino* dixerit (quod mirum videatur cum Deus ipſum Dauidem Sauli loco inungendum iuſſiſſet) Idemque Rex & Propheta ſemel atque iterum oblatas in illum occaſiones arripere noluit quas iure diuino & humano legitimo magiſtratui contra iniuſtè vſurpantem liberè, nullo impediente, arripere licuit.

Verumenimuero hoc vnum præ ceteris ipſi contradictioni os obſtruit, & implicatiſſimos nodos quos noſtri ſæculi Gordij tam tenui & ſubtili filo conſtringunt explicare poteſt. Deus enim ipſe expreſſo ſuo ipſius mandato, ſuis ipſius electis imperat, ſine vllo *æquiuocationis* anfractu, vel oppoſitione in afflictiſſimo tempore, *dum ſuper flumina Babylonis flentes ſederunt, & organa ſalicibus ſuſpenderunt*, non ſolùm quærere pacem illius ciuitatis quæ ipſis ex diuina prouidentia ſedes erat exilij: ſed quod magis in rem præſentem facit, vt pro pace illius Ciuitatis orarent, & in pace illius ſuam pacem ſtabilirent. Tantæ molis eſt humanæ ſolertiæ aut hominum ſtudio, vel contendere, vel diſpenſare contra quàm Deus præſcripſit. Tantumque abeſt a Diuino conſilio & prouidentia,

uidentia, vt Imperij habenas præcipiti audaciæ laxissimas remitteret.

Nunc *Garnete*, an tibi propositum fuerit pro pace, & prosperitate Regiæ Maiestatis orare (quæ necessariò Babylonis priuilegio gaudeat si pro Babylone haberi velis) ad tuam ipsius cauteriatam conscientiam non prouoco; sed ad Hymnum illum, *Gentem auferto perfidam*, miserè & perperam ex vindice & vesano tuo furore detortum.

Quod ad secundum, an vos pacem professionis vestrę in pace ciuitatis posuistis, fulminalia illa vestra molimina loquantur. Vt semel dicam, rationes & exempla ex lege Moysis deprompta clarissimè docent quousque Leuitę in Regum criminibus coarguendis se interponerent, cùm ipsorum officium omninò in humilitate & pietate consisteret. Quamuis etenim non inficior illo ęuo vim principibus fuisse illatam, nonnunquam expresso Dei iussu (quod nostro ęuo desijt) nonnunquam etiam subdolis proditorum artibus, quę quidem non meliore iure nituntur, quàm latrocinia quę in Cilicię angustijs exercentur: satis tamen superq; nobis sit, quod in sacris literis nulla eiusmodi proponatur doctrina, ideoque nulla Respub. eiusmodi interpretationem fallacibus fundamentis substratam, vel nouam variationem in prisca integritate, vel arbitrariam ad aliorum palatum atque aures tolerare debet. Hoc certò scio quamuis Moysis virga tantummodò semel in serpentem fuerit ad terrorem conuersa, Aaronis tamen virga non in *campo Martio* sed in *testimonij Tabernaculo germinans & turgentibus gemmis folijsq; dilatatis florens semper fuit conseruata.*

Sed vt propiùs ad succum & sanguinem eius disciplinę accedamus, quę inter Christianos suo iure Regularis habenda ad fundamenta examinanda, & vt in Christi scholam suo ordine ingrediamur. Memoria tibi *Garnete* redintegranda admonendo Seruatorem nostrum (qui imitationis vestrę summum & supremum debeat esse exemplar) Reipub. legibus in qua natus obsequium pręstitisse quamuis illę Pharisaicis constructionibus & glossematibus detortę fuerint in *sen-*

sum reprobum & *ex diametro oppositum* illi reformationis scopo ad quem solummodò collineauit, nec se cum tumultuantibus contra Romanam Tyrannidem, vel ad Magistratus submouendos, vel rempublicam conuellendam intermiscuit. Discipulos iussit *reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris*, reseruando Deo quæ sunt Dei. Christus secularem hæreditatem, quanquam etiam atque etiam ad hoc rogatus fuerit, diuidere abnuit, multò minùs fieri poterat vt ex animi impetu vel Monarchas deturbare, vel Monarchias immutare voluerit.

Ad comprobandum etiam *Regnum suum non esse de hoc mundo*, argumentatur *a consequente*, sc. quòd discipuli & sectatores eius non ad arma concurrerint ad eum defendendum, quod proculdubiò fecissent si Regnum eius ad normam humanarum affectionum & studiorum efformatum fuisset. Quamuis hoc nostro tempore facilè fuit elusum, & ille defectus potenter fuisse suppletus ab alijs id genus hominibus qui præsidia dissoluere vel vetare, in Ecclesiasticæ libertatis fraudem esse clamitant. Certum est accidentium mutationem posse tam in Ecclesiasticis, quàm in naturalibus corporibus crasim immutare. Ecclesia etenim vno tempore possit esse magis sedata, secura, & secunda, perinde ac nos vel meliùs vel grauiùs affici, & bene aut minùs bellè valere, vno tempore quàm alio possimus. Verùm quemadmodum admirandum esset paroxysmi genus quod hominem cum Apuleio in asinum transformaret, ita non minùs mira esset variatio in magnetico, vt ita dicam, Ecclesiæ indice, patientiam in potentiam, spiritum in carnem, & humilitatem in crudelitatem immutare. Philosophia enim docet externa accidentia internas qualitates immutare: sed sine absoluta *ipsius speciei* transmutatione substantias non immutant. Gregorium itaq; Septimũ & Bonifacium Octauum demiror, quòd vt cauti gladiatores duos gladios in vna vagina sibi arrogare ausi fuerint, ex sacris literis miserè distortis, ad geminam iurisdictionem asserendam cuius executio cum plurimorum exitio coniuncta fuit & erit, *priusquam sententia Iudicis* (in hac quæ agitur caussa) *in rem iudicatam transeat*. Hoc tamen pro certo

certo mihi compertum, quòd Christus Legis-lator ipsos in procinctu destituit, cùm ad arma conclamauerint, & pro belli classico ad suos exclamat *Cur non potius patimini?* Cùm verissimum sit quòd *in patientia possidentur animæ:* Axioma magis sanum, salutare, & honestum, quàm illud Theologorum Scholasticorum, *censuras emittendo, & bella conflando præcipitentur Principes.* Ex sacri Christi consistorio *peremptoria* emittitur *prohibitio* quòd discipuli eius non dominarentur *sicut Reges* gentium. Sin autem Pontifices illi (qui fucatum & ementitum ius regis abdicandi à Christi potestate repetunt) in actione quam instituunt caussam obtinerent: *dominarentur plusquam Reges*, cùm supra reges in rebus secularibus se exerendo, tum audendo per Censuras eos regnis spoliare, quod nemo expectare multò minùs ab alijs exigere poterat (Principibus illis exceptis qui fiduciario iure a superioribus tenent:) neque illi tam grauiter illis Principibus insultarunt, quàm PP. Alexander Tertius Frederico Imperatori prostrato collum pedibus conculcauit. Cùm Christus non solùm iusserit Petrum gladium maiori cum zelo quodam animi impetu, quàm matura deliberatione eductum recondere, verùm etiam comminationem generatim addiderit, *omnes qui gladium acceperint gladio peribunt.* Anne probabile est illi in animo fuisse manus discipulis constrinxisse, & animorum impetus liberrimos & laxissimos eorum successoribus reliquisse? Christus denarium census tam pro Petro quam seipso Cæsari persoluit, quasi typo proposito ad quem se Ecclesia conformaret, inde proposita & mensura & proportione ad quas Ecclesia se conformaret. Nouum enim esset vt hęres succedens in defuncti locum ex lege vlla plus pręstare valeret, quàm ipse testator, vel delegatus quàm qui delegauit. Nunquam fallit illa regula, quòd *Discipulus non sit supra Magistrum*, quia nunquam falli potest qui regulam illam præscripsit: & si quis accuratè obseruet quid intersit inter Christi functionem quæ erat *Magisterium*, & scopum qui nunc propositus quod est *Imperium*, maius esset quàm quod maximum interuallum & discrepantia. Seruator noster co-

ram Pilato agnouit authoritatem quam habuit, & exercuit, non terrenam nec temporariam sed *desuper* fuisse. Cui doctrinæ nihil magis ex diametro repugnat, quàm Theologorum è Schola somnium; vt Principes nostri qui hodie iurisdictionem cum pietate coniunctam habent, consimilem illi quam Cęsar cum fastu exercuit, quoad regna & Maiestatem Censurę discipulorum ipsius subijcerentur (qui dum in terris ageret) Prærogatiuam illam vt ab officij sui scopo, & ratione omnino alienam recusauerit. Vt Seruator enim noster alio in loco *à minori* probat, quod discipuli sui suos inuicem pedes lauarent, quoniam ille qui magister erat ipsorum pedes, qua fuit ille humilitate, lauare non est dedignatus: ex *consequenti* probo, quod quicunque profitetur se esse Petri imitatorem (vt Petrus fuit imitator Christi) a violenta intrusione ex hoc indebito iure Prærogatiuæ plusquam Cæsareæ abstinere debet, quæ neque ab vllo Leuitico prædecessore fuit assumpta, neque a testatore occupata, neque testamento legata. Donum etenim *omnis iudicij* & in cœlo & in terra quod à Deo patre filius accepit, sine conditione fuit absolutum, cùm diploma illud quod Ecclesia à Christo sponso accepit, probationum firmitate, testium fide, & antiquitatis præscriptione restringatur. Cùm Christus animaduerteret nonnullos animorum æstu abreptos illum Regem velit nolit, facturos, *fugit in montem solus.* Illi autem contra vt successores *Christi & hæredes Apostolorum* à monte contemplationis iu vallem mundanæ agitationis descendunt, vt partium studia ad Regalia consequenda sibi conciliarent. Christus differentiam inter discipulos suos Magistrum sectantes cui perinde ac vulpi specus non erat, & illos qui in Regum domibus habitant, interposuit, & si qua nunc est differentia ex altera parte exoritur. Moderata hæc & æquabilis procedendi ratio ab Euangelij Lycurgo, Christo scilicet, erat approbata, à sacrosanctis Apostolis dum illi supererant continuata, & à sanctis episcopis eorum successoribus totos mille annos non interrupta. Non etenim legi vel Ecclesiam sibi assumpsisse, vel Pontifices arrogâsse, vel Principes agnouisse quampiam

aliam Censuram, quàm vt illi qui pertinaciter Ecclesiæ doctrinæ obaudire abnuerunt, sicut *Ethnici & Publicani* haberentur.

S. Petrus (a cuius Prærogatiua quamplurimi authoritatem abdicandi Reges vel ex conuictione, vel vt plerumque fit, ex contumaciæ suspitione repetunt) fideles iubet illi Principi, qui tunc temporis fidelium erat Carnifex & Tyrannus sanguinarius, obtemperare, quia erat *præcellens*, & Magistratibus omnibus qui rebus gerendis sub illo præfuerunt. Prohibet etiam omnes bonos pastores qui debent esse *forma gregis, prouidere coactè*, vel in *cleris dominari* (quamuis illi sint quasi intra ipsorum gyrum) multò minus eos super Imperatores aut Reges qui sunt quasi in supremo orbe fixi, euehere cogitauit. Imò si aliquam authori illi qui sub S. Clementis nomine prostat, fidem adhibeamus, omninò negat aliquos ex eius successoribus *cognitores negotiorum secularium* a Deo fuisse constitutos. Illud tamen hodie primum & præcipuum est obiectum, quod hodierno nostro Primatui est propositum.

Si Petrus itaque gladium recondere iussus erat, quando Christus præstò adstaret ad curandum grauissimum vulnus quod infligere poterat, quanto magis debeant eius successores gladium in vagina continere, cùm iam modestè ex præcepto recondatur, & magis impetu animi obesse, quàm priuilegio prodesse possint. S. Paulus eius in Apostolatu & Martyrio consors nunquam superiorum authoritati, siue illi Episcopi, vel Monachi, *Regulares* vel *Seculares* vt Chrysostomus notat, *omnem animam* subiecisset, simodo illi innotuisset fuisse nonnullarum animarum ex mandato expresso exemptionem. Principum prauitas nullam vim inhibitionis quæ ad Ecclesiæ & Regni pacem & ordinem spectant, extenuare debeat. Aliter enim S. Petrus nunquam iussisset seruos obedire Dominis *non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis, non propter metum sed propter conscientiam*: neque S. Iuda querulos illos & morosos tam grauiter increpuisset, *qui spernunt potestatem, & blasphemant Maiestatem*, non tam ob gloriam,

riam, quàm ob munus eis delegatum. Hæc non est expeditissima & consultissima ratio *manendi in vocatione* sine impatientia & contentione, obedientiam nostram ex obligatione illa qua Euangelium nos inuenit, & Deus elegit eximere. Cùm iniuriæ inferantur, ad remedia ex iure serui Dei semper confugerunt, & quamuis non poterat esse Princeps deterior, vel potiùs monstrum immanius quàm qui Imperij fastigium & Cæsaris locum tenuit dum Paulus viueret, Paulus tamen *appellauit Cæsarem*, & Appellatione quidem illicò admissa, Romam missus erat vt cum eo ex lege ageretur. *Nathan* Prophetæ Dauidem ob peccata redarguere licuit, quamuis ex solio non deturbauerit. Seruator noster cùm Herodem in subdola & veteratoria Sanctorum Dei circumuentione depingeret, appositè vulpem appellauit, è cauea tamen illum extrudere nunquam cogitauit. Et licèt etiam Ioannis Baptistæ muneri conuenerit, & Pastoris Sacrosanctæ Ecclesiæ interfuerit Tetrarcham monere, & antea denuntiare *non licere* fratris vxorem habere; subditos attamen eius obsequio & fide quam præstare debeant, soluere nec voluit, nec ausus erat. Polycarpus S. Ioannis discipulus, vt author est Eusebius, etiam in caussis quæ cum periculo salutis æternæ coniunctæ erant, vt in Idolatria, & similibus, nihil relaxauit vel dispensauit. Christiani in primo Ecclesiæ diluculo, vt habet Tertullianus, nec *Albiniani* nec *Nigriniani* erant: hoc est, nulla factione pro partium Ducibus abducti, vel affectu pro temporum ratione contaminati, sed Imperatoris sui obseruantissimi *quomodo licuit & ipsis expedierit*. At quousque? eò vsque certè, vt Principem tanquam hominem *a Deo secundum*, & *solo Deo minorem* honore afficerent (& non cum alijs) Diuino numini adæquarent.

Probi & ingenui taciti extimescent, & toto corpore perhorrescent tantis & tam funestis bellorum clangoribus auditis, cum legerint quàm submissa obedientia & humilitate Beatus ille Pater Athanasius, cuius humeris mater nostra Ecclesia asperrimo persecutionis turbine, innixa se reposuit, e falsis suspicionibus & iniustis aspersionibus, quasi Constantinum

num Imperatorē Arianiſmo laborantē conuitijs inceſſerat, ſe vēdicauit. Obſequioſa hac eius obſeruantia illo Spiritus Sancti monito erat fundata, vt *non maledicamus Regi* in noſtræ conſcientiæ ſecreto: nec ex intimo animi receſſu malè imprecemur. B. Hilarius noluit ſibi modum præſcribere, ſed mali Imperatoris arbitrio reliquit quomodo & quatenus eum loqui iubeat. B. Ambroſius lachrymas & preces vnica eſſe ſacerdotum Arma cognoſcit, *Orare, ingemiſcere & lachrymare,* inquit *poſſum, nec alia mihi reſiſtendi ratio.* Itaque B. Hieronymus ad Heliodorum, Rex imperat hominibus velint nolint, Epiſcopus tantum volentibus, *ille terrore ſubiecit, hic ſeruituti donatur.*

Quæſtioni illi a Donato ex factione & faſtu propoſitæ, Quid Imperatori cum Eccleſia? Optatus Pater ille eruditus eodem quaſi accentu & tenore quo Tertullianus (cuius modò memini) reſpondet. Quod (cùm Imperator ſolo Deo ſit minor) Donatus in euehendo ſe ſupra Imperatorem (vt Antichriſtus ex inſolentia ſe ſupra Deum efferet) *iam hominum exceſſit metas.* Patientia & pietas triginta Pontificum Romanorum qui ſua ſerie in prima Eccleſiæ plantatione vitam ſub carnificis manu ad conſcientiæ Syngrapham innocentiæ ſanguine conſignandam profuderunt, ſucceſſores tam exemplo, quàm Primatus iure ſuccedere & ſubſequi doceant. Quamuis *Liberius* eiuſdem ordinis Paſtor iniuſtè ab Eccleſia ſua excluſus & relegatus erat, nunquam ius ſuum cruento gladio, ſed potius aurea illa obedientiæ & patientiæ regula, quam Seruator noſter Diſcipulis *ſub ſigillo*, & illi Eccleſiæ *in Depoſito* reliquerunt, perſequutus eſt. *Symancha* & qui eius farinæ fortaſſe hîc occurrant, Eccleſiam tunc temporis infirmitatis faſcijs inuolutam vagijſſe, falcem tunc temporis ad noxias & ſpinoſas herbas eruncandas minùs fuiſſe acutam, fideleſque eouſque authoritatis nondum prouectos fuiſſe, vt munus officij ſui exequi valerent. Sin autem obedientiæ conſtantia pro humani arbitrij electione circumſcripta fuiſſet, & obſequij latitudo bonis illis temporibus adeò fuiſſet extenſa, cùm Epiſcopi in diuinam ſolùm gratiam & non ipſorum

prærogatiuam animos intenderent, proculdubio Ecclesiæ Christi magnus eorum Martyrum & Confessorum numerus defuisset, qui hodie in Romano Calendario iure optimo locum habent. Qui tam latè expatiantur, existiment, & palam edicant cùm illis visum fuerit, Laicos subditos itidem non diutius fide & obsequio teneri, quàm se viribus ad resistendum impijs magistratibus impares senserint; & ita leges regni & cuiuscunque ordinis subditos qui priuatim ad Legum præscriptum viuere tenentur, confusione quadam inuoluant. Tertullianus egregiè hoc Paradoxon tam falsitatis quàm leuitatis coarguit, piorum Christianorum suo tempore (quod cum primis erat) viribus & potentia demonstratis, simodò illi virium periculum facerent, cùm omnia loca publica, Tribunalia, Castra, & Præsidia eius professionis viris complerentur.

Legiones quæ sub infidelibus Principibus meruerunt, & fœlicissimè res maximas gesserunt, minori pretio meliori in loco res suas collocâssent, si suæ ipsorum conscientiæ se legibus opponendo satisfacere potuissent. Si pij Christiani qui sub Constantio Ariano vixerunt deficiendo ad Constantium & Gratianum qui Orthodoxi erant, suo otio consulere voluissent; eorum defectio Dominis suis terrorem incussisset, quibus humilitas antea inprimis vsui erat.

Si quis hodie, inquit Chrysostomus, plus sibi arrogabit quā subditis, sub infidelibus iam antea principibus, permissum fuerat, *Quod maiora sibi cōcredita esse dixerint*, edocēdi sunt non nunc honoris sui tempus esse, cùm sint tanquam peregrini in hoc mundo, sed in alia specie splendidiores & magis gloriosi elucebunt, *quando Christus apparuerit, & tunc cum Christo comparebunt in gloria.* Quanquam Gregorius Magnus se in Italia tantum viribus valuisse fatetur, vt nec Ducem, nec Comitem in Italia reliquisset, si vires suas illorum furori fidenter opposuisset. Cùm tamen Theodolindam Reginam per subdolum aliquem serpentem à synceritate professionis suæ seductam, & exitiosè à Deo ad Belial, à pietate in hæresim

resim abductam inueniret, non asperiùs cum illa egit, quàm animo paterno & submissa oratione admonẽdo vt opportunè caueret, ne plurimarum virtutum azymum qui Agni cœna dignus, falsitatis & impietatis fermento illorum infidelium doctorum qui sua credulitate abusi, corrumperet.

Chrysostomo minimè difficile erat (pro ea quæ pollebat apud gregem suum gratia, non tantum *ad aras*, verùm *vltra aras* si eius patientia suorum cupiditati par fuisset) impiæ Principi Eudoxiæ negotium facessisse, quæ obliqua sua peruersitate & scelere nullum respirandi locum illi concederet. Sin autem tantum sit interuallum inter doctrinam nonnullorum Theologorum è schola nostro æuo, & superiores obedientiæ & veritatis demonstrationes; cur non ego conquerar quod nunc *desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant olim vitia nunc mores sint.* Verum est quod longo pòst tempore administri Philippi *Pulchri* Regis Galliarum querebantur, idque iustissimè, quòd *augendo sacerdotum iura, iura Regia minuerentur.* Verum etiam esse potest quod à nostrate proditum est, Gregorium septimum iam extremum spiritum exhalaturum (non sine tacito conscientiæ verbere) agnouisse *ex minutione Laicorum se sacerdotum promouisse gloriam*, quod diuersis licèt in verbis in idem recidit. Omnibus Episcopis non eadem erat sententia, qui non obliti obseruationis illius apud Danielem Prophetam, aquas ex fontibus *Bethel* cum animarum discrimine bibere, nihil aliud esse quàm *sanguinem bibere*: tam prouidi erant ad dissensionis igniculos ex charitate extinguendos, quàm alij ad accendendos ex ambitione & fastu inani. Nam in eiusmodi caussis *non est opus sæuientis animæ, sed medentis studio.* Charitas enim mitis & mollis est, *nec inflatur, nec est ambitiosa.* Petro sunt duæ claues, altera scientiæ, potestatis altera, hæ itidem ad duas aptantur seras, Indurationis videlicet, & Ignorantiæ: & vix quidem inueniamus sine his vel certo harum vsu aliquas seras firmiores, vel obices vnquam fuisse reseratas. Non est igitur cur quispiam dubitet quin inter tot, tantos, tam pios, graues, & pereruditos Episcopos (qui *tanquam in acie ordina-*

riam, quàm ob munus eis delegatum. Hæc non est expeditissima & consultissima ratio *manendi in vocatione* sine impatientia & contentione, obedientiam nostram ex obligatione illa qua Euangelium nos inuenit, & Deus elegit eximere. Cùm iniuriæ inferantur, ad remedia ex iure serui Dei semper confugerunt, & quamuis non poterat esse Princeps deterior, vel potiùs monstrum immanius quàm qui Imperij fastigium & Cæsaris locum tenuit dum Paulus viueret, Paulus tamen *appellauit Cæsarem*, & Appellatione quidem illicò admissa, Romam missus erat vt cum eo ex lege ageretur. *Nathan* Prophetæ Dauidem ob peccata redarguere licuit, quamuis ex solio non deturbauerit. Seruator noster cùm Herodem in subdola & veteratoria Sanctorum Dei circumuentione depingeret, apposité vulpem appellauit, è cauea tamen illum extrudere nunquam cogitauit. Et licèt etiam Ioannis Baptistæ muneri conuenerit, & Pastoris Sacro
terfuerit Tetrarcham monere, & antea
fratris vxorem habere; subditos attamen
de quam præstare debeant, soluere nec v
Polycarpus S. Ioannis discipulus, vt auth
am in caussis quæ cum periculo salutis
erant, vt in Idolatria, & similibus, nihil r
sauit. Christiani in primo Ecclesiæ dilu
tullianus, nec *Albiniani* nec *Nigriniani* e
factione pro partium Ducibus abducti,
porum ratione contaminati, sed Imperat
simi *quomodo licuit & ipsis expedierit*. At quo
certè, vt Principem tanquam hominem *a Deo secundum*, & *solo Deo minorem* honore afficerent (& non cum alijs) Diuino numini adæquarent.

Probi & ingenui taciti extimescent, & toto corpore perhorrescent tantis & tam funestis bellorum clangoribus auditis, cum legerint quàm submissa obedientia & humilitate Beatus ille Pater Athanasius, cuius humeris mater nostra Ecclesia asperrimo persecutionis turbine, innixa se reposuit, e falsis suspicionibus & iniustis aspersionibus, quasi Constantinum

num Imperatorē Arianiſmo laborantē conuitijs inceſſerat, ſe vēdicauit. Obſequioſa hac eius obſeruantia illo Spiritus Sancti monito erat fundata, vt *non maledicamus Regi* in noſtræ conſcientiæ ſecreto: nec ex intimo animi receſſu malè imprecemur. B. Hilarius noluit ſibi modum præſcribere, ſed mali Imperatoris arbitrio reliquit quomodo & quatenus eum loqui iubeat. B. Ambroſius lachrymas & preces vnica eſſe ſacerdotum Arma cognoſcit, *Orare, ingemiſcere & lachrymare,* inquit *poſſum, nec alia mihi reſiſtendi ratio.* Itaque B. Hieronymus ad Heliodorum, Rex imperat hominibus velint nolint, Epiſcopus tantum volentibus, *ille terrore ſubiecit, hic ſeruituti donatur.*

Quæſtioni illi a Donato ex factione & faſtu propoſitæ, Quid Imperatori cum Eccleſia? Optatus Pater ille eruditus eodem quaſi accentu & tenore quo Tertullianus (cuius modò memini) reſpondet. Quod (cùm Imperator ſolo Deo ſit mi- [illegible] hendo ſe ſupra Imperatorem (vt Anti- [illegible] a ſe ſupra Deum efferet) *iam hominum ex-* [illegible] ia & pietas triginta Pontificum Roma- [illegible] in prima Eccleſiæ plantatione vitam ſub [illegible] conſcientiæ Syngrapham innocentiæ [illegible] dam profuderunt, ſucceſſores tam exem- [illegible] us iure ſuccedere & ſubſequi doceant. [illegible] uſdem ordinis Paſtor iniuſtè ab Eccleſia [illegible] gatus erat, nunquam ius ſuum cruento [illegible] urea illa obedientiæ & patientiæ regula, [illegible] r Diſcipulis *ſub ſigillo*, & illi Eccleſiæ *in Depoſito* [illegible], perſequutus eſt. *Symancha* & qui eius farinæ fortaſſe hîc occurrant, Eccleſiam tunc temporis infirmitatis faſcijs inuolutam vagijſſe, falcem tunc temporis ad noxias & ſpinoſas herbas eruncandas minùs fuiſſe acutam, fideleſque eouſque authoritatis nondum prouectos fuiſſe, vt munus officij ſui exequi valerent. Sin autem obedientiæ conſtantia pro humani arbitrij electione circumſcripta fuiſſet, & obſequij latitudo bonis illis temporibus adeò fuiſſet extenſa, cùm Epiſcopi in diuinam ſolùm gratiam & non ipſorum

riam, quàm ob munus eis delegatum. Hæc non est expeditissima & consultissima ratio *manendi in vocatione* sine impatientia & contentione, obedientiam nostram ex obligatione illa qua Euangelium nos inuenit, & Deus elegit eximere. Cùm iniuriæ inferantur, ad remedia ex iure serui Dei semper confugerunt, & quamuis non poterat esse Princeps deterior, vel potiùs monstrum immanius quàm qui Imperij fastigium & Cæsaris locum tenuit dum Paulus viueret, Paulus tamen *appellauit Cæsarem*, & Appellatione quidem illicò admissa, Romam missus erat vt cum eo ex lege ageretur. *Nathan* Prophetæ Dauidem ob peccata redarguere licuit, quamuis ex solio non deturbauerit. Seruator noster cùm Herodem in subdola & veteratoria Sanctorum Dei circumuentione depingeret, apposité vulpem appellauit, é cauea tamen illum extrudere nunquam cogitauit. Et licèt etiam Ioannis Baptistæ muneri conuenerit, & Pastoris Sacrosanctæ Ecclesiæ interfuerit Tetrarcham monere, & antea denuntiare *non licere* fratris vxorem habere; subditos attamen eius obsequio & fide quam præstare debeant, soluere nec voluit, nec ausus erat. Polycarpus S. Ioannis discipulus, vt author est Eusebius, etiam in caussis quæ cum periculo salutis æternæ coniunctæ erant, vt in Idolatria, & similibus, nihil relaxauit vel dispensauit. Christiani in primo Ecclesiæ diluculo, vt habet Tertullianus, nec *Albiniani* nec *Nigriniani* erant: hoc est, nulla factione pro partium Ducibus abducti, vel affectu pro temporum ratione contaminati, sed Imperatoris sui obseruantissimi *quomodo licuit & ipsis expedierit*. At quousque? eò vsque certè, vt Principem tanquam hominem *a Deo secundum*, & *solo Deo minorem* honore afficerent (& non cum alijs) Diuino numini adæquarent.

Probi & ingenui taciti extimescent, & toto corpore perhorrescent tantis & tam funestis bellorum clangoribus auditis, cum legerint quàm submissà obedientia & humilitate Beatus ille Pater Athanasius, cuius humeris mater nostra Ecclesia asperrimo persecutionis turbine, innixa se reposuit, e falsis suspicionibus & iniustis aspersionibus, quasi Constantinum

num Imperatorē Arianiſmo laborantē conuitijs inceſſerat, ſe vēdicauit. Obſequioſa hac eius obſeruantia illo Spiritus Sancti monito erat fundata, vt *non maledicamus Regi* in noſtræ conſcientiæ ſecreto: nec ex intimo animi receſſu malè imprecemur. B. Hilarius noluit ſibi modum præſcribere, ſed mali Imperatoris arbitrio reliquit quomodo & quatenus eum loqui iubeat. B. Ambroſius lachrymas & preces vnica eſſe ſacerdotum Arma cognoſcit, *Orare, ingemiſcere & lachrymare,* inquit *poſſum, nec alia mihi reſiſtendi ratio.* Itaque B. Hieronymus ad Heliodorum, Rex imperat hominibus velint nolint, Epiſcopus tantum volentibus, *ille terrore ſubiecit, hic ſeruituti donatur.*

Quæſtioni illi a Donato ex factione & faſtu propoſitæ, Quid Imperatori cum Eccleſia? Optatus Pater ille eruditus eodem quaſi accentu & tenore quo Tertullianus (cuius modò memini) reſpondet. Quod (cùm Imperator ſolo Deo ſit minor) Donatus in euehendo ſe ſupra Imperatorem (vt Antichriſtus ex inſolentia ſe ſupra Deum efferet) *iam hominum exceſſit metas.* Patientia & pietas triginta Pontificum Romanorum qui ſua ſerie in prima Eccleſiæ plantatione vitam ſub carnificis manu ad conſcientiæ Syngrapham innocentiæ ſanguine conſignandam profuderunt, ſucceſſores tam exemplo, quàm Primatus iure ſuccedere & ſubſequi doceant. Quamuis *Liberius* eiuſdem ordinis Paſtor iniuſtè ab Eccleſia ſua excluſus & relegatus erat, nunquam ius ſuum cruento gladio, ſed potius aurea illa obedientiæ & patientiæ regula, quam Seruator noſter Diſcipulis *ſub ſigillo*, & illi Eccleſiæ *in Depoſito* reliquerunt, perſequutus eſt. *Symancha* & qui eius farinæ fortaſſe hîc occurrant, Eccleſiam tunc temporis infirmitatis faſcijs inuolutam vagijſſe, falcem tunc temporis ad noxias & ſpinoſas herbas eruncandas minùs fuiſſe acutam, fideleſque eouſque authoritatis nondum prouectos fuiſſe, vt munus officij ſui exequi valerent. Sin autem obedientiæ conſtantia pro humani arbitrij electione circumſcripta fuiſſet, & obſequij latitudo bonis illis temporibus adeò fuiſſet extenſa, cùm Epiſcopi in diuinam ſolùm gratiam & non ipſorum

prærogatiuam animos intenderent, proculdubio Ecclesiæ Christi magnus eorum Martyrum & Confessorum numerus defuisset, qui hodie in Romano Calendario iure optimo locum habent. Qui tam latè expatiantur, existiment, & palam edicant cùm illis visum fuerit, Laicos subditos itidem non diutius fide & obsequio teneri, quàm se viribus ad resistendum impijs magistratibus impares senserint; & ita leges regni & cuiuscunque ordinis subditos qui priuatim ad Legum præscriptum viuere tenentur, confusione quadam inuoluant. Tertullianus egregiè hoc Paradoxon tam falsitatis quàm leuitatis coarguit, piorum Christianorum suo tempore (quod cum primis erat) viribus & potentia demonstratis, simodò illi virium periculum facerent, cùm omnia loca publica, Tribunalia, Castra, & Præsidia eius professionis viris complerentur.

Legiones quæ sub infidelibus Principibus meruerunt, & fœlicissimè res maximas gesserunt, minori pretio meliori in loco res suas collocâssent, si suæ ipsorum conscientiæ se legibus opponendo satisfacere potuissent. Si pij Christiani qui sub Constantio Ariano vixerunt deficiendo ad Constantium & Gratianum qui Orthodoxi erant, suo otio consulere voluissent; eorum defectio Dominis suis terrorem incussisset, quibus humilitas antea inprimis vsui erat.

Si quis hodie, inquit Chrysostomus, plus sibi arrogabit quā subditis, sub infidelibus iam antea principibus, permissum fuerat, *Quod maiora sibi cōcredita esse dixerint*, edocēdi sunt non nunc honoris sui tempus esse, cùm sint tanquam peregrini in hoc mundo, sed in alia specie splendidiores & magis gloriosi elucebunt, *quando Christus apparuerit, & tunc cum Christo comparebunt in gloria*. Quanquam Gregorius Magnus se in Italia tantum viribus valuisse fatetur, vt nec Ducem, nec Comitem in Italia reliquisset, si vires suas illorum furori fidenter opposuisset. Cùm tamen Theodolindam Reginam per subdolum aliquem serpentem à synceritate professionis suæ seductam, & exitiosè à Deo ad Belial, à pietate in hæresim

resim abductam inueniret, non asperiùs cum illa egit, quàm animo paterno & submissa oratione admonẽdo vt opportunè caueret, ne plurimarum virtutum azymum qui Agni cœna dignus, falsitatis & impietatis fermento illorum infidelium doctorum qui sua credulitate abusi, corrumperet.

Chrysostomo minimè difficile erat (pro ea quæ pollebat apud gregem suum gratia, non tantum *ad aras*, verùm *vltra aras* si eius patientia suorum cupiditati par fuisset) impiæ Principi Eudoxiæ negotium facessisse, quæ obliqua sua peruersitate & scelere nullum respirandi locum illi concederet. Sin autem tantum sit interuallum inter doctrinam nonnullorum Theologorum è schola nostro æuo, & superiores obedientiæ & veritatis demonstrationes ; cur non ego conquerar quod nunc *desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant olim vitia nunc mores sint.* Verum est quod longo pòst tempore administri Philippi *Pulchri* Regis Galliarum querebantur, idque iustissimè, quòd *augendo sacerdotum iura, iura Regia minuerentur.* Verum etiam esse potest quod à nostrate proditum est, Gregorium septimum iam extremum spiritum exhalaturum (non sine tacito conscientiæ verbere) agnouisse *ex minutione Laicorum se sacerdotum promouisse gloriam,* quod diuersis licèt in verbis in idem recidit. Omnibus Episcopis non eadem erat sententia, qui non obliti obseruationis illius apud Danielem Prophetam, aquas ex fontibus *Bethel* cum animarum discrimine bibere, nihil aliud esse quàm *sanguinem bibere* : tam prouidi erant ad dissensionis igniculos ex charitate extinguendos, quàm alij ad accendendos ex ambitione & fastu inani. Nam in eiusmodi caussis *non est opus sæuientis animæ, sed medentis studio.* Charitas enim mitis & mollis est, *nec inflatur, nec est ambitiosa.* Petro sunt duæ claues, altera scientiæ, potestatis altera, hæ itidem ad duas aptantur seras, Indurationis videlicet, & Ignorantiæ : & vix quidem inueniamus sine his vel certo harum vsu aliquas seras firmiores, vel obices vnquam fuisse reseratas. Non est igitur cur quispiam dubitet quin inter tot, tantos, tam pios, graues, & pereruditos Episcopos(qui *tanquam in acie ordinata*

ta confertìm semper se stipabunt ad terrendas illas spei deploratæ cohortes è *Symancha* castris emissas) hæ Theses labascant, & nonnulli qui ex animi tumore haud facilè cederent, ignauia animum abijcere adigantur.

Qui piè eruditi nunquam fraudulentis & Cyrcæis illis fascinis aures arrigere vel semel sunt dignati, in Concilio Quarto Toletano opinionum suarum fundamentum substernentes, per quod cuiuscunque generis homines Anathemati sine exceptione exponuntur, *qui fidem Regibus suis sacramento promissam obseruare contemnerent*. In hac prima parte omnes perfidi proditores generatim coarguuntur, sed quod subsequitur, Nauarram & discipulos pungit & vrit, *vt ore simularent iuramenti professionem, cùm mente retinerent perfidiæ impietatem*. Pythagoras certè nihil magis discipulis inculcauit, quàm prophanum illum versiculum;

Iura, periura, secretum prodere noli.

Ex altera parte satis Epicuro erat modò *mentem iniuratam gereret, etiamsi linguâ iuraret*. Et tu Garnete (vt Trigonus eiusmodi conficeretur qui nunquam ad Cubum reduceretur) auditoribus enuntias & diuulgas (quod cæcutientes illi Philosophi extra scholarum spatia profiteri non auderent) licitum esse verba ad animi sensum detorquere, vt simplici fiduciæ oculo erroris nebulam obducas, & in tuam securitatem, fucum fratri facias. Hoc pro explorato habeo eruditos Ecclesiæ Patres nec hanc fallendi rationem nouisse, nec eiusmodi *deceptione visus* quæ *ad destructionem animæ* faciat, pericula subterfugere voluisse. Cùm in Athanasium apparitor quidam incidisset, & interrogâsset, *Quantum inde abesset Athanasius?* Quamquam de eius vita iam ageretur in persecutionis tempore (cuiusmodi & vos hoc tempus habetis) & ille vir multo potior & potentior ad Dei ipsius caussam tuendam (vt ex eius acri contra professos veritatis hostes concertatione in Concilio Niceno cõstat) quàm tu in hoc Regno ad nefaria consilia & impia facinora quæ suscepistis propugnanda; nihilominùs ingenuè, apertè, & impauidè respondit *non longe abesse Athanasium.* Quod sane verissimum, quoniam

niam ille ipse erat qui quærebatur, susque deque tulit, vt videtur, quam citò interciperetur. Qui minùs ingenio valet facilè intelligat quàm longè Seruator noster ab eiusmodi Chymicis extractionibus, & fallacibus sophismatibus absfuerit, ex vniuersa illa Thesi: *Quicunque negauerit coram hominibus, negabitur coram patre.*

Vt *AEquiuocatores* omni subsidij spe excludantur in his angustijs, destinguendo inter *Propositiones Verbales, Mentales, Negatiuas*, &c. quod præcessit in eodem loco vrgeo. *Non timete eos qui occidunt corpus, & animam non possunt occidere.* Si enim Seruator noster eiusmodi securitatis præsidium discipulis reliquisset, in quod persecutione ingruente receptui canentes se subducerent, cuiusmodi sunt verbalia pigmenta (quicquid cum animo reputassent) non erat cur tam anxiè animum illis contra Tyranidis furorem ita augeret & spem confimaret.

Quæ tu, & tui ex ore Christi ad fucum faciendum in hoc labyrintho detorquetis, potiùs nauseam quàm bilem commoueant, quanquam hoc vobis dicendum quod exempla à Seruatore nostro, qui & Deus & homo, (& non solùm pro æterna prudentia nouit, sed etiam pro immensa potentia hebescenti nostro intellectui lucem præferre poterat) neque sunt præscripta ad nos animandos, neque exemplaria ad imitandum proposita. Ego autem haudquaquam dubito quin hæc Æquiuocationis & *Mentalis reseruationis* oua (nunquam genita nec fota à melioribus auibus meliori æuo) fuerint exclusa, vt fingunt Poetæ, cum tonitru ab Haliætis. Inter enim primæuos Martyres & Pastores illi maximis laudibus, lætissimis acclamationibus, & annalium monumentis fuêre celebrati, qui animo paratissimo omnibus subterfugijs & strophis remotis, momentaneam hanc vitam ad æternitatem comparandam alacres profuderunt. Tantum abfuit vt illi in ignauiæ securitatem ingenij neruos contenderent, aut fraudes conciperent. Sed vt tacitus prætercam quod huic digressioni caussam præbuit, concludam hoc quod iam maximè agitur, & optimi viri semper elaborârunt ad obedien-

tiam securitati,& fidelitatem vitæ proponendam, modesto Papæ ad Angliæ nostræ Regem responso (quod in patientia colenda si vobis visum fuerit meliori sit exemplo, quàm illa vel Gregorij Septimi, vel Bonifacij Octaui, vel Alexandri Sexti cùm ad extremum discrimen deducti essent) Richardus ille in bello sacro Heros celebratissimus, cùm Bellouacensem Episcopum quem in prælio lorica indutum cœperat in carcerem coniecisset, nuntius mox à Pontifice Romano intercedentibus alijs Episcopis cum vehementiore interpellatione, si non authoritate imperiosa, ad Regē missus vt eum carcere liberaret, quem pro paterna indulgentia visum Pontifici fuit filium appellare, (sed non pari æquitate qua Apostolus Philemonem pro Onessimo interpellauit, *obsecrans pro filio suo quem in vinculis genuit*) Rex facetè respondit, alludens ad illud in Genesi vbi Iosephi tunica versicolor grandæuo patri cruentata fuit oblata; non misit captiuum quem vinctum tenuit, sed loricam eius ad Pontificem, percunctatus a beatissimo patre (cum hac molliori interrogatione) An hæc esset filij sui tunica; Papa hac demonstratione perculsus, & nullum subesse commentum sedulò obseruans ad regem pro responso remisit, *nec hanc esse filij sui tunicam*, nec illi in animo esse eum, qui eiusmodi lorica armatus & prælians captus erat pro filio agnoscere, itaque iuri militari & Regis arbitrio omninò reliquit. Certissimum illud est Ambitio quæ ex opportunitate oblata, est præfidentissima, eadem cùm semel sit intercepta est omninò ignauè timidissima, & quomodocunque humani animi qui non iudicio & conscientia æquè librantur, quæ nec pro officij ratione debeant, nec pro viribus præstare possint, suscipiant: secundæ tamen cogitationes obseruant vbi primùm impegerunt, & inde ex maturo iudicio conclusione postea facta quòd *vis expers consily mole ruit sua*, incipiunt itidem extimescere ne vasta illorum studia perinde ac ædificia cùm fundamenta non sint firma, sua etiam mole subsidant. Haud fieri potest vt animorum impetus sint diuturni (cùm materia prima ex qua emanant, vt *Proteus* tot mutationum & formarum sit capax, quot mundo insunt

sunt

sunt accidentia & varietates) quandoquidem perinde ac vestes continuo vsu inueterascunt & conteruntur. Morales autem virtutes quę in ipsa Deitate radices agunt, & diuina gratia afflantur necessariò Authori sint coeternæ, qui non solum plantat, sed rigat, vt ex sua bonitate fructus sua origine dignissimos producat.

Ex his demonstrationibus edocemur, quæ leges fuerint vsu receptæ, qui limites circumscripti, quæ ratio erga Principes procedendi à moderatis Episcopis fuit obseruata, qui vel proximè Apostolos vixerunt, vel eos qui proximè Apostolicam humilitatem vixerunt, sunt imitati. Nunc igitur non alienum erit (pro loci & circumstantiæ ratione) explorare (idque non ex vanis commentationibus) sed indicijs certissimis, quàm clandestinò & quasi furtìm Ecclesiasticæ vsurpationes in solo repserunt, priusquam solium Regium violentiùs aggredi auderent, & quomodo, cùm *dormirent homines venit homo inimicus & superseminauit zizania.* Omnibus æquè in confesso est qui vel iudicio vel sensu valent, Axiomata illa quæ ad centrum penetrant & conscientiam ad viuum tangunt, deberet potiùs constantiæ Polis defigi, quàm mutationis sphæra circumuolui, quodque non Israel solus sed omnes æqui & ingenui *Amen* accinere debeant maledictioni illi quam Christus suo ipsius ore denuntiauit contra omnes cuiuscunque loci & ordinis qui terrarum metas vel iurisdictionis limites ad pacem tuendam præfixos remouere audeant. Longo tamen temporis & experientiæ decursu videmus quòd ex quo ille *Motus trepidationis* (vt Astrologorum verbo vtar) in ignauorum Principum animis inualuerit, ex vehementi neruorum contentione quamplurimæ & gradum & distantiarum variationes in Ecclesiasticæ Politiæ Apotelesmatibus factæ fuerunt, præcipuè verò sexcentis hisce annis iam proximè anteactis. Quæ impulerunt prudentiores se recipere ad iudicium grauissimi Philosophi differentis de diuersitate temporum & hominum qui illis temporibus aut virtute aut arte rerum sunt potiti. Illos perspicaciùs veritatem peruidisse, *qui minùs ab ortu aberant*, &

iuxta

iuxta sentit Tertullianus, prima esse perfectiora & aquas quo scaturigini propiores, eo esse liquidiores. Quod hoc in loco industriæ nostræ scopus erat propositus.

Ab ipso igitur fonte, vt rem sine obice aut passionis obstaculo repetamus, obseruare possumus, quòd quamdiu persecutionis vomer in piorum Episcoporum dorsis sulcos altos egerit non tantùm corporum cruciatu (quod Propheta Regius in illo Psalmo innuere videtur, *super dorsum meum fabricauerunt peccatores*) verùm etiam ipsarum animarum diuexatione & angore (quæ humilimi illi animi subeunt qui statim sentiunt vel minimam plagam fidelitati illatam) omnes illas noxias ambitionis & æmulationis herbas radicitùs extirpauit, quæ sereno cœlo ex luxurianti originalis infirmitatis solo pullulare solent. Ad fœlicissimum vsque Constantini *Magni* imperium, quo persecutionis furor deferbuit, non alias fere nec alio in genere inter pios patres contentiones lego, quàm cuius consilium & conatus religiosa quadam & modesta æmulatione maximo esset vsui ad diuinam gloriam propagandam, & Ecclesiam prolatandam. Ipsa Ecclesia quod Christi corpus est mysticum, assimilari potest analogicè corporis humani stomacho, qui quanquam multa recipit, æqualiter tamen in omnes corporis partes reddit, diuidendo & distribuendo quod recepit, vt inde reliquæ partes viuerent & vigerent, quæ aliâs elanguescerent sensimque interirent.

Si toto hoc tempore Tribunus contra Ecclesiam Romanam intercessisset, vt Menenius Agrippa contra Senatum, quem stomacho assimilauit, (qui in medio quietus omnia absumit, & nihil aliud quàm datis voluptatibus perfruitur) vel infirmissimę corporis partes tam damnosam iniuriam dedignarentur: sin autem stomachus se enutriendo reliquas partes vt (plebs tunc suggerebat) ad extremam tabem redegisset & transformando bene constitutum & compositum Reipub. corpus tam inæquali nutrimenti distributione in monstrum, leges Naturæ violasset, vnitatisque vincula dirupisset: agnoscendum est, quòd erat cur & Menenius inter illos,

los, & omnes boni Ciues & corporis politici membra apud nos si caussa sit similis, remedium sibi sedulò conquirerent.

Verissimum est, primis illis Episcopis in animo omninò destinatum fuisse vt gregem pascerent, non mulctras complerent; vt fidem disseminarent, non lineam dilatarent; vt Reges ad perfectionem ducerent, non solio detruderent; vt pacem firmarent, non vt lites sererent; vt subditorum animos ad obsequium instruerent, non præiudicio inflammarent; vt pacem cum vniuerso mundo colerent, certò persuasi conscientiæ pacem esse *omnia in omnibus*, ita vt Christum sibi conciliarent, vtque nullo modo se *percussores* vel *violentos* præberent. Quod Ecclesiæ Canones præter Pauli ipsius prohibitionem haud quaquam tolerabunt.

Nonnulli ex authoribus recentioribus (sed tamen eruditioribus) cum accurata locorum & plurimorum interpretum examinatione inuenerint, quàm operosum, vel potius quàm impossibile fuerit, ius illud summæ Prærogatiuæ abdicandi Reges confirmare ex certis diuini verbi indicijs, & ejusmodi monumentorum testimonijs, quæ omni exceptione maiora; vt illud ex Chartis, Diplomatibus, Donationibus, & Priuilegijs piorum Principum confirment se reuocant. Exempli gratia, a Constantino Primo & Optimo, a Phoca Primo & pessimo, ab Ina Occidentalium Saxonum Rege religioso, & a Ioanne nostro irreligioso, qui perinde *Sine fide* vocetur, quàm *Sine terra* cognominatus fuerit. In quorum numero alij seriò deuotioni intenti, alias simulatè sanctitatem suis consilijs obtendentes, & singuli, pro illius æui doctrina credentes, nulla semina citiùs prodire & grandescere, quàm quæ in *area Dominica*, ad animas redimendas sparsa fuerunt, reliquerunt Ecclesiæ certiora spei suæ pignora dono, quàm Christus vnquam testamento legauit. Contra prætensam illam Donationem quam Canonistarum nonnulli Zelo quodam magis quàm iudicio a Constantino P. P. Siluestri factam volunt, quamuis non opus sit multis, quandoquidem qui ex illis sunt

iudicio solidissimo & ingenio modestissimo laruam illam a rugosa ista facie iam antea detraxerint. Nihilominus quia in tanti momenti causa nihil satis dici potest, mihi in animo est paucioribus quàm res tanta explicari possit aliqua minuta & succincta argumenta nunc vrgere. Primum quàm incredibile est vt Siluester ille proximus Episcopus (vno excepto celeberrimæ illi Martyrum cohorti, qui pro Christi vitam litarunt) in primo respirandi interuallo post tot contra Dei hostes viriles concertationes, gratia benignissimi illius temporis, inanes Principatus honores aucupando abureretur; Episcopi qui supra aquas eousque constiterant potentissimæ illius dextræ subsidio quæ Petrum in fluctibus sustentauit, cùm parùm abesset quin demergeretur, si tam subito turgidis humanæ ambitionis vtribus innatare cœpissent, maius demersionis periculum in fluminibus Damasci subijssent, quàm in Mari Rubro quod Sancti sine vllo periculo securi transmiserunt.

Platina ex ipsis Pontificum Commentarijs prodit, quòd Siluester recusauerit diadema gemmis distinctum a Constantino oblatum, vt ornamentum quod Pastori & suo muneri minimè conueniret. Quanquam pius Nestor solummodò *signum superbiæ* vocet, Siluester ipse non tantùm signi verùmetiam superbiæ extremæ conuictus fuisset in Consistorio omnium prædecessorum suorum qui in cœlo Sancti, simodò ille accepisset, quod hi delatum memorant. Apud Patres & Historicos Ecclesiasticos qui pleno ore beneficia Christi sponsæ ex huius Imperatoris munificentia collata prædicant, ne tantillum occurrit ad hanc donationem asserendam. Quod in animi ingrati argumentum trahi possit si vel quod studium Principi fuisset Donandi, vel Papæ accipiendi. Neque verisimile est Principem tam religiosum id filio relinquere voluisse quod Ecclesiæ donauerat, nec pios illos eius successores, Theodosium scilicet &c. detinere voluisse. Adhæc, Scriptores omnes comprobant, quàm potentes Græci Imperij Exarchæ in Italia fuerint, longo tempore post Donationem

nationem illam prætensam, quod cum illa potestia in qua Papatum inde constabilire epixè contendunt, conuenire nequaquam poterat. Ex directa confessione inuenio reditus è quibusdam locis ad ecclesiam S. Pauli sustentandam assignatos, quam Constantinus petente Syluestro fundârat, & è Sardinia ex aliorum relatione, ad illam Ecclesiam quam mater eius pientissima construxerat, nec non tributa illa Ecclesijs fuisse collata quæ ciuitates superioribus sæculis in ærarium retulerant. Hæc tamen & huiusmodi fallacis huius somnij inanes fuisse vmbras, & pigmenta existimo. Nam Donationis ipsius (quæ longo interuallo omnia superat, quæ seorsim Ecclesijs collata fuisse memorantur, & maioris eminentiæ & prærogatiuæ ratione longe maiorem dignitatem & speciem præ se tulisset) nullum planè extat vestigium, ad quod qui in ambitionem maximè incumbunt se dirigant & collineent. Quantula fides, firmitas, aut dignitas ad Ecclesiam accedere possit ex Diplomatibus Phocæ luxuriosi & perfidi Tyranni qui nefariè Mauritij Domini sui, vxoris eius, & hæredum sanguine se cruentauit. Imperiumque iniustè occupauit, quo fretus plura quàm de iure debuit vel potuit concedere ausus: illis excutienda relinquo qui titulos, & iura ad æquitatis normam, potius quam ambitionis lineam examinare gaudent. Nihilominus vt plus Tyranno deferam, quàm deferendum conscientia dictat, dignatus breui responso proiectam eius vmbram submouere, primùm infero, quod Diplomata ex dolo malo concesso & factiosa consilio facinus fouendi quod fraude susceptum; vel ab ipso poterat reuocari, vel ab eius successoribus antiquari. Addo etiam idque ex iuris Cæsarei consultissimorum iudicio quòd nullius Principis Rescriptum sine publico assensu approbandum, iuxta illud: *Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet.*

Postremò asseueranter dico quòd hæc Phocæ transcriptio (sit licèt illa solida & absoluta) patriæ nostræ fraudi esse non poterat, quoniam nos a Romani Imperij cura & tutela cc. plùs minùs annis exempti fuimus priusquam Phocas cruentatam dextram Imperij clauo admouerit. Postquam enim

Ætius Galliarum sub Romano Imperatore Vicarius tantum miseris Britannis præscripserit quomodo acies instruerent & prælia inirent, cum hoc demisissimis ipsorum literis responso, Ne amplius a Romano Imperio subsidium expectarent, quod tunc temporis ab externis hostibus, & internis dissidijs conuulsum ita elanguit vt vix se sustinere potuisset. Britanni cum iam derelicti essent (& igitur ab omni obsequio & clientela iure gentium liberi & soluti) post multa asperrima contra Scotos & Pictos sub suis Regulis prælia in Saxonum potestatem deuenerunt, qui tanquam alter Pharao qui nunquam Iosephum aut eius patris familiam nouerat, gloriosam erexerunt Monarchiam (quanquam ea inter ipsos aliquandiu in partes fuerit distracta) eamq; in absoluta authoritate conseruarunt, nullum superiorem agnoscentes, donec tandem variante subinde fortuna, Normanno victori in prædam cesserit. Quare Phocas cùm Britanniam tanto tempore vel ex negligentia, vel ex necessitate derelictam nec possederit, nec in eandem ius habuerit, in Ecclesiam non plus transcribere poterat, quàm vel ipse habuit, aut habere debuit, quod nihil aliud erat quàm *Accidens sine subiecto, Indiuiduum vagum*, aut *Hoc nihil indeclinabile.* Denarioli illi quos *Petri denarios* vocant ab Ina Rege Romano Pontifici concessi in Saxonicis historijs Koninges almeson i. *Regis Elemosyna*, in Canuti Legibus *Larga Regis benignitas*, & in compendio Decretorum Edwardi *Confessoris*, & Guilielmi *Conquestoris*, quæ supersunt plane *Regis eleemosyna* appellantur, non ex debito, sed e charitate, vt vis verbi innuit, promanauit & quoad temporalem aliquam Prærogatiuam qui est tonus & sonus ambitiosi huius arrepti & vsurpati iuris, potius comprobant Pontificem qui tunc sedit, fuisse Regis Inæ beneficiarium, quàm Regem Inam tunc regnantem fuisse Pontificis Rom. clientem fiduciarium.

Hîc memorare poteram mansionem quandam Anglis peregrinis, qui Romam de suis rebus confluxerant quæ eo nomine hodie nota, pro singulari Anglo-Saxonicorum Regum in sedem Romanam pietate & beneficentia assignatam fuisse,

quæ cùm in rationem naturalis illius contractus *do vt des*, de quo apud Iurisprudentes copiosè agitur, cadat, & collata cum Denariorum illorum contributione, potiùs permutationem quàm vectigalis impositionem comprobare possit.

Fucum illum Donationis quam fecit Rex Ioannes qui necessitate vrgente tam animam, quàm Coronam, & eadem sane lege in discrimen præcipitaturus erat, facilè ex S. Albani monacho qui cum illo superiore de Phoca ex iure ciuili consonat, abstergere possim, viz. *Regis non est dare Regnum quod est res publica sine assensu Baronum qui tenentur Regnum defendere.* Itaque nec portus nec ciuitates quæ totius sunt partes & membra haudquaquam dare potest. Sed hanc rem arctiore ambitu astringam & Mathęi Parisiensis ore asseuerabo, quod tantum abfuerit vt Parlamentum (*Regni Vniuersitatem*, ille appellat) *detestandæ huic obligationi* (vt Monachus Westmonasteriensis recte nominat,) consensum adhibuerit, vt ipse Metropolitanus nomine *Vniuersitatis Regni* palam contradixerit.

Quod Philippus Rex Galliæ diuulgata hac Ioannis Regis Donatione censuit, ab eius æui scriptore celebratur, vz. perniciosum Regibus & Regnis exemplum futurum. Voluit ille vt homines cum Petri successoribus de illis qui ad animas spectant agerent, & non de *Regnis, guerris*, vel *militia*, quæ ad illos minimè pertinent. Postremò illa reseruatio auspicatò in hanc Donationem fuit inserta, *Saluis nobis & hæredibus nostris Iustitiys, Libertatibus & Regalibus nostris*, illam omninò irritam facit, suprema Regia Prærogatiua Deo prouidente integrè conseruata, quam Rex alioqui fraudulenta & nimis meticulosa facilitate omisisset, *Florilegus Westmonasteriensis* testis (vt ea ferebant tempora) optimæ notæ detestandam illam obligationem igne exustam fuisse dum Pontifex Romanus Lugduni ageret, prodit. Eulogij author addit Donationem illam *cum omni fidelitate* & *homagio* ipso Pontifice iubente, Parlamentario Ordinum Angliæ conuentui relaxatam & omnino antiquatam fuisse. *Thomas Morus* etiam vir Ordinis equestris qui vitam pro Primatu Papali profudit, hac in parte vt mea fert sententia, fide præ cęteris est dignissimus,

qui asserit primum infirmitatem in Rege fuisse quod Coronam suam alterius nutui subijcere voluit, & deinde in ipsa Donatione *Nullitatem* inesse. Insuper non solùm *Morus* affirmat vectigal pro Anglia & Hibernia impositum ex Regis concessione, nunquam fuisse Papæ persolutum. Ex Parlamentarijs scrinijs Anno quinquagesimo Regis Edwardi Tertij hoc in cumulum accedit, quòd cùm minæ Regi intentarentur de illo Romam citando quia vectigal Donatione ista impositum plures annos detinuisset, Comitia Parlamentaria totius scilicet Regni Conuentus, Proceres, Præsules, & Plebs maturâ deliberatione contradixerunt & restiterunt viribus quàm poterant maximis: His duobus innixi fundamentis, tùm quòd Donatio ista fuit contra Regis iusiurandum quod in auguratione religiosè ipse firmârat, tùm etiam sine assensu & consensu Ordinum regni confecta.

Cùm igitur nec Phocas, Ina, Ioannes, nec Constantinus quæsito illi colori authoritatis illius Reges abdicandi ne minimum quidem addunt, ille qui rectè discernit & obseruat, facilè dijudicet an Pontificum Romanorum dignitas in maiori erat pretio, dum potius pietate vincere, quàm impetu euincere, flectere quàm frangere, & temperamentum adhibere quam exulcerare enixè operam nauârint.

Religio & humilitas angulares tunc erant lapides in specioso illo frontispicio quod vniuersus terrarum orbis tantoperè in Romana Ecclesia olim cum admiratione suspexit, quanquam postea ex Episcoporum in illa sede mutatione & ingeniorum varietate tanta subsequuta sit dissimilitudo, vt quemadmodum Minerua, post aliquot annos Athenas reuersa nec nauem ipsa nouerit suam, nec Constantinus Romæ nutricem suam, nec vt B. Hieronymus notat de mulieribus fucatis quæ in Cœlum oculos tollunt, si perpendamus quot pigmenta Ecclesiasticæ politeiæ columnis illita fuerint, vix Christus ipse, Alexandro Sexto sedente, suam internoscere poterat creaturam, si tunc eius opem implorâsse voluisset. In principio cùm Danielis imagine in capite aureo si sacrosanctam rerum administrationem, in pectore argenteo, si conscientiam

immaculatam, in tibijs æreis si ingem industriam spectemus, conuenit; postea autē voluentibus annis plurimorū Pontificū capita facta sunt turbulēta, pectora auara, & tibię pigerrimę.

Sacrosanctum illud Concilium Nicænum (de quo nunquam sine honoris præfatione loquor) in illa iurisdictionum inter Patriarchas diuisione (vt res tunc ferebat Ecclesiastica) ad disciplinam constabiliendam, & vnitatem tuendam, ne vno quidem verbo secularis alicuius imperij meminit, multò minus iuris alicuius suspendendi Reges aut abdicandi, vel subditos ab obsequij & fidei iureiurando absoluendi, quod quasi hęredium ad Romanos Pontifices Primatus agnitione deuolueretur. Sed vt Salustius admodum grauiter & vt bonus ciuis de Repub. Romano suo seculo conqueritur, quòd *postquam diuitiæ honori esse cœpere, & eas gloria, imperium, potentia sequerentur*: factio & fastus in Senatus sedes inuadere & publicam iustitiam labefactare cœperunt. Itidem in Ecclesia ex eiusmodi corruptela eiusmodi vitia promanarunt, & multę animorum prauitates magis magisque indies se prodiderunt, sereno illo in Sole, & Halcyonijs illis diebus, qui viris sanctis melioris Principis benignitate illuxerunt (vt Zizania pullulat cùm fruges maturescunt) quę antea vel animi humilitate obumbratę, vel disciplina fuerunt omnino coercita. Hęc non eò dico quia eiusmodi animorum impetus & acutæ intemperies non aliquando exarserint, & pro re nata exardere non possint inter ipsos à Deo electos, quemadmodum inter Petrum, Paulum, & Barnabam, & in hoc ipso sancto Nicæno Concilio quod vrgeo (quanquam non vlterius quàm Dei ministros & Apostolorum successores decuit) quia diuino numini aliquando visum est sibi gloriam adaugere, & virtutem ex infirmitate omnibus numeris absolutam reddere; sed vt copiam prosperitatis, ambitionem copiæ, & corruptionem ambitionis filiam esse clariùs eluceat. Postquam Episcopis ab ipso Imperatore permissum fuerat à ciuili Tribunali appellare, & eorum sententiæ Imperatoris Rescripto sui ipsius sententijs adæquatæ fuerant, cristam erigere cœperunt, & paulò pòst, vt ex probatissimis

batissimis & antiquissimis ecclesiasticis scriptoribus, quidam testatur. *Episcopatus Romanus non aliter quàm Alexandrinus quasi extra sacerdotij fines egressus, ad secularē Principatum iam anteà delapsus est.* Etsi Episcopi qui his sedibus præfuerunt, vt ad veritatē credamus, ignorare non poterant, Paulum cuiuscunq; ordinis pastoribus interdixisse, ne rebus secularibus se intermiscerent, vel in minimis quę Regię Maiestati officere possent, quia Episcopus non magis extra elementum suum scilicet Ecclesiam, nec Monachus extra solitudinem, quàm pisces extra aquas viuere possunt. Christus enim cùm populus illum Regem creare voluisset, in montes subterfugit, & Episcopi cum Iosepho potiùs pallia relinquere debent, quàm fascinis & vanis mundi illecebris pronas aures adhibere, qui vt lasciua illa Putipharis vxor brachia proijcit, & cum Syrenibus vocem contendit vt in tentationis vorticem pertrahat, & pertractos in voluptates immergat.

Quod verò Socrates ille dixit, *Iam ante delapsus est ad secularem principatum*, Ammianus Marcellinus scriptor solidus, quanquam minimè Christianus, me quasi manu ducit, vt altiùs ascendam ad scopum mihi propositum inueniendum. Ille enim in Principis palatio agens & quasi è specula obseruans quomodo omnis generis homines se gererent, meminit cædis cruentæ in quadam Romæ Basilica perpetratæ vbi Christiani sua sacra celebrare soliti, in furiosa contentione inter Damasum & Vrsicinum de Pontificatu, in qua centum triginta septem cadauera ex Basilica illa fuisse extracta prodit, in quam ad eligendum Pontificem populus fuit conuocatus. Adiungit præterea Viuentium vrbis Præfectum cùm seditionem componere non potuisset, in suburbanum vi coactum secessisse. Posteà Ammianus ille in neutram partem propendens, & ideo quod probabile est (æquior rerum æstimator) addit hanc contentionem & æmulationem ad hanc dignitatem consequendam extitisse à securitate, otio, opibus, & honoribus eorum qui præualuerunt, & in hoc dignitatis fastigio collocantur. Caussas subiungit, *Matronarum oblationibus ditabantur. procedebantque vehiculis insidentes, circumspectè*

circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò vt eorum conuiuia Regales mensas superarent. Quod Damasus competitor ex his erat non affirmat Marcellinus, & multò minus credo, cùm obseruo quo honore & qua obseruantia S. Hieronymus qui ipse fuerat Romanus sacerdos de eo loquitur. Ratio tamen qua ille ad sedem conscendit, non solùm apud religiosè deuotos, sed etiam apud Ammianum Marcellinum politice prudentem offensionem habuit, vt ex eius graui iudicio constet *Beati Romani Pontifices reuera esse poterant si magnitudine vrbis despecta, ad imitationem antistitum quorundam Prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia perpetuo numini, verisq́; eius cultoribus vt puros commendabant & verecundos.*

Hæc sententia scriptoris quem prophanum ducimus quia Christo renatus non erat, nec in sinu sponsæ eius Ecclesiæ enutritus, mihi in mentem reducit Hectoris Boëtij Romani Catholici feruorem religiosum hac de re in Scotica sua historia. Huiusmodi antistites quàm sunt illorum dissimiles, qui diuersa ingrediuntur via, cùm locum illorum occupent. Illi non auro splendidi, illi non in Principum Palatijs assidui, illi non satillitio stipati, non illi in arte simulandi eruditi, e qua multo vberior existit quæstus, quàm e Poetica facultate quæ in Academis lauro est redimita. Hoc impulit Bonifacium (Martyrum illum non Mirmilonem dico) deuotionem aureorum Episcoporum qui in Ecclesiæ tenuitate maiori cum feruore in ligneis calicibus ministrabant, ligneorum Episcoporum vanitati præponere, qui cùm opes affluerent, maiori cum pompa, zelo autem minori in aureis calicibus sacra fecerunt. Quia vt B. Hieronymus adnotat externæ opes nihil dignitati illius addunt *qui corpus domini in canistro vimineo, sanguinem in vitro portat.* Ex his verbis nolim quis arripiat me ridiculis eorum sententijs suffragari qui materiam vel pretium eorum vasculorum quibus Sacramenta ministrantur ad primæuam simplicitatem reuocare conantur. Illa Vriæ ratio qui indecorum censuit *in domo cedrina cubare, cùm*

Arca Dei esset sub pellibus, me pertraxit, vt multò pluris vascula illa quæ ad tam sublime mysterium spectant, æstimarem. Certò enim scio valorem contenti infinitis gradibus superare continens, & in *Adiaphoris* decori regula nobis est sequenda.

Nihil aliud mihi hic in animo est quàm perstringēdo obseruare pietatis declinationem, quæ vno eodemq; fere tempore accidit quo metallorū multiplicatio, & eorum munerum ambitus quæ nulla habita conscientię ratione, sint emolumento; cumq; immodicas illas in *manu viua* elargitiones circūscribere cœperint quas maiores nostri in *manu mortua* circūscripserūt, nec non cùm internæ pietatis ad externā pompā conformationē proposuerint. Quamuis potius esset vt nobis superflua deessent, quàm necessaria moderatio abesset. Chrysostomus enim in saginanda Ecclesia vsque ad eam satietatem vt reuomat, duo absurda adnotat, alterum quòd Laici bene faciendi occasione priuantur, alterum quòd ipsi Pastores officij grauitatem & dignitatem prætermittunt, dum Rationales & collectores fiant. Hæc nulla est ratio ad Ecclesiam expilandam, cui vt nunc se habent tempora, magis *largitore hilari, quàm interprete maledico* opus est, sed ad comprobandum quòd argumenta contra immoderatos excessus sunt firmissima præsidia & solidissima stabilitatis sustentacula, nam *in se magna ruunt, summisque negatum est stare diu.*

Vt Ammianus Marcellinus a partium studio, vel ignorantia in hoc defendatur, quod de Matronis loquitur, Valentiniani, Valentis, & Gratiani Principum piorum, non sanguinariorum Rescriptum produco, ne Ecclesia, aut Ecclesiastici quicquid ex Matronarum liberalitate adipiscantur, & hoc ab ipso Damaso ad quem ab Imperatoribus datum erat publice in Ecclesia Romana fuit perlectum. Quod Ammianum de caussis dissensionis & oppositionis non temere iudicâsse euincit.

Ad maiorem rei perspicuitatem si cuipiam scrupulus inijciatur, ex B. Hieronymo ediscat aliquem eiusmodi excessum (vel saltem incuriam) eo tempore Censuram subijsse, vbi non tam

tam ægrè fert eiusmodi legem iustè latam fuisse, quàm auaritiam legi caussam præbuisse. Nostri itaque Angliæ Episcopi, Edwardo Tertio regnante, cum Reipublicæ necessitas intercederet, consenserunt, vt reditus Ecclesiastici desinerentur. Nec ipse Papa S. Ludouico Galliæ Regi succensuit cum plura prędia aut reditus deinceps se inscio Ecclesijs conferri prohiberet.

Huius prouidę cautionis & moderationis ratio vt mihi videtur ex eo emanauit quòd Moyses tam in publicum prudens quam numini deuotus pijs populi oblationibus finem imposuerit, postquam ad Tabernaculum in quo Deus adorandus satis fuisset collatum. Minimus enim excessus (in rebus alioqui cum moderatione laudandis) facilè in vitium deflectit, & quod supra nutrimenti modum, in humorem conuertitur. Ex Genesi facilè edoceamur quòd illi qui intra iustas altitudinis metas consistere non poterant, dum minantia cœlo fastigia substruerent misera confusione ex sua ipsorum vanitate fuerint inuoluti.

Iam explicatum quomodo Ecclesia Romana & Alexandrina in Monarchiæ fraudem secularis potestatis vorticibus fuerint immersę, quanquã *Spiritualis potestas nõ ideo præsidet, vt terrena in suo iure præiudiciũ faciat*, vt habet eruditus è schola Theologus, sed quam ægrè interea Ciuilis authoritas has prolapsiones tulerit, ediscamus (si æqui rerũ æstimatores esse velimus) ex Oreste qui tunc Vicarius Imperatoris grauiter de nonnullis Episcopis conqueritur) *Quòd per eos nonnihil de authoritate eorum detractum esset qui ad magistratus gerẽdos designati essent*. Vir ille Clariss. bene mane & quasi diluculo prospexit quibus gradibus Ecclesiasticę ambitionis solertia firmamentũ monarchię subruere cœpit, extimuitq; nec immeritò, ne cum Principibus qui sua iura reuocare vellẽt, ageretur vt castor cum erinaceo egerit. Cùm enim ille spinis noxij hospitis sauciatus quem in specũ vt familiarẽ admiserat, per hospitalia iura rogaret vt descederet; non aliud responsum tulit, quàm satis commodè cum illo actum esse, si non ita castori visum, ipse sibi aliud commodius quæreret hospitium. O-

restes ex prima hac emergente luce præuidit, viscum & hederam arctioribus suis complexibus vegetatiuam virtutem a quercus & corni radicibus exugentes necessario floride germinaturas, cùm ipsæ arbores emarcescerent.

Non me latet Ciuilem iurisdictionem ea proportione qua cum Pastorali cura conueniat, tantum abesse vt pietati surgenti officiat (vt nonnulli volunt) vt potius fructibus maturitatem afferat, qui sole longiùs remoto, aut frigore vruntur, aut rubigine corrumpuntur. Adeo vt iuxta illa Prophetæ Nahum *Residuum locustæ Bruchus deuoret*. Illos solummodò increpo qui ex ementitis indicijs cum potentibus Principibus de Imperio decertare, aut illos solio deturbare proiectè audent, quod Beata Virgo diuinæ Prærogatiuæ facit particulam. Aliter de omnibus fidelibus cum Paulo dico, *si in illis mundus iudicabitur indigni sunt qui de minimis iudicent?* Et alibi (*si Angelos iudicent, quanto magis secularia.*) Epiphanius igitur Cypri Episcopus in Ecclesiasticis historijs plurimùm celebratur ob suaue temperamentum & decorum quod in rebus Ecclesiasticis & Secularibus administrandis adhibuit. Consilium Carthaginense viam mediam inter extrema apprimè nouit, superbiæq; fumum euentilando modestiæ nitorem conseruare illæsum. Patriarcha autem Constantinopolitanus cùm tempora & rerum euentus perspexisset curiosè obseruando quàm admiranda Ecclesia Romana confecisset, quamprimùm iurisdictionem Patriarchalem prouexisset, quousque Imperij æmulatio & Prærogatiua consortis impatiens tolerare poterat: ille etiam superbiæ alis in altum euectus, supra omnes sui ordinis tam sublimè euolare ausus est, vt nisi præsumptionis huius alas B. Gregorius magis argumentorum, quàm authoritatis telo præcidisset, non est incredibile quin partium studio se *similem altissimo* præstitisset.

Tam facile est ex multis arenulis, Neptuno auspicante, dorsum immane in Oceano erigere, ex multis Petri denariolis. Inæ benignitate collatis ingentem pecuniæ cumulum coacervare, & ex multis virgultis, curante Minerua, nidum satis excelsum

excelsum & amplum componere, in quo amplioris alæ Accipitres pariant ad dimensionem & rationem sublimitatis eius, quam tantopere in votis habuerunt, & omni contentione consectati fuerunt. Huiusmodi erant consilia & studia nonnullorum Romanorum Pontificum aliquandiu qui sæpenumero tantopere sunt conati, quod tamen voluerunt neutiquam assequuti; videlicet in eam altitudinem se euchere, vt Imperatorum vertices superare & transuolare possint. Donec annis plus minus ter centum iam elapsis a translato per Constantinum & eius successores in Orientem Imperio, eorum in Occidente Præsides, vniuersi & vniti Imperij ægide destituti qua prius vsi erant, donec inauspicato illa Aquilę facta fuerit bifariam diuiso, quę speciosissimam auem informem reddidit, iuxta illud Seruatoris, *Omne regnum in se diuisum desolabitur*, eam prębuerunt occasionem (quanquam illis refragrantibus) ad clauium S. Petri potestatem amplificandam, quę iam inde non minus fuit formidabilis, quàm prius erat amabilis. Prima causa Imperium Occidentale in Orientem transferendi fuit, testante Socrate, *vt vulnera quæ erant a Tyrannis inflicta, illis iam sublatis, tollerentur*. Hoc ab omnibus fuit approbatum, & consilium huius translationis laudatum, donec experientia vnà cum aduersis successibus docuerit consultius esse inter duo extrema, externam potius discrasiam, quàm internam conflagrationem admittere. Recessus (vt maritimorum verbo vtar) non tantus erat, Imperio decrescente, quantus fuerit accessus *ex consequente* Ecclesia increscente. Quę cùm conspexisset suos radios esse splēdidisimos, gloriā amplissimam, Sole sub Finiente nostro agente cuius mutuato lumine illustratur, diligentiam quantum potuit maximam iam inde adhibuit, vt illos Imperij radios qui sua vicinitate aut debilitarent, aut interpositione obfuscarunt, longiùs excluderet. Certum est Constantinum Imperio translato, Episcopis non autem sacerdotibus plenisimam concesisse immunitatem vt ad Curiam ciuilem non deuocentur, qui primus erat gradus ad Papalem amplitudinem, quæ iam illis animo obuersabatur. Gratianus Imperator An. CCCLXXX. & Hono-

rius anno CCCCVI. eandem confirmarunt, Theodosius & Valentinianus ad gratiæ cumulum sanxerunt vt sacerdotes non ante Seculares Iudices deducerentur, sed *Episcopali audientiæ* reseruarentur si partium consensus accederet. Iustinianus maiori quàm Antecessores cautione hoc ad res Ecclesiasticas restringit, & ideò apud Bellarminum malè audit. Heraclius Episcopos & sacerdotes ab omnibus Curijs nisi ab ipsius Imperatoris *Delegatis* excepit. Guicciardinus autem nec ille Lutheranus, nec Zuinglianus (vt pro opinionum diuersitate homines nouis hodie insigniuntur appellationibus) sed Romanè Catholicus, non Germanus, vel Heluetius, sed Italus, non illiteratus, sed singulari doctrina & iudicio limato obseruat; Licèt aliqua densior nubes nonnullos Imperij radios in summo orbe obduxerit, attamen vsque ad Imperij translationem, & aliquandiu pòst, plurima obseruantię & obsequij erga ciuilem authoritatem indicia extitisse.

Nam nec Pontifices nisi assensu vel Imperatorum vel Exarcharum in thronum ascenderunt, & in omnibus Rescriptis tempus hisce verbis annotarunt, *Regnante Domino nostro Mauritio A. vel M.* Et si ex temporum vicissitudine, quæ in sublunari hoc orbe & corpora & Imperia immutat, laudata hæc formula paulatìm fuit imminuta, & tandem omnino extincta, postquàm Græcum caput fato malo à Latino corpore fuit auulsum, primùm in vertiginem, & posteà in imbecillitatem incidit, vnde periculosæ in Imperio conuulsiones & quemadmodum arborum summitates, quæ vitali suarum radicum succo non enutritæ, posteà pulchritudine & gloriâ defloruit & exaruit. Imperatores magis magisque indies fuere contemptui, vel quòd noluerunt, aut minimè potuerunt Imperij caput à Barbarorum incursionibus, Tyrannorum oppressionibus, & coniuratorum machinationibus defensare. Tunc Italiæ Proceres omne obsequium, contributionem, subsidium, tam longè remoto Parallelo, à quo tanquam a vortice nulla erat reciprocatio, deferre abnuerunt, obedientiam Exarchis, & Magistratibus debitam subtraxerunt, qui iam extremum spiritum exhalaturi, nullum salutare remedium

um inuenerunt: Internuntij pro rerum necessitate inter Romam & Constantinopolim tanto interuallo dissitas commeare non poterant, quodque deuergentis fortunæ deploratissimus est effectus, nuntij ad intercedendum emissi, re infecta redierunt, consultationes erant mutilæ, expectationes irritæ, & hominum ingenia varia & tumultuantia.

Quamuis autem apud probatissimos authores legi quòd illo tempore difficilimo & incertissimo quamdiu vel tantula spes aut securæ tutelæ, aut opportuni auxilij superesset, Pontifices ad fidem in sinu timoris conseruandam satagerunt: Tandem tamen ciuili authoritate in occasum vergente, Ecclesia languente, & spe omni perdita, cùm Proceres & Præsules sensim quasi cera ad ignem liquentes extenuati, & frustra solatium ex Oriente expectando lassati animum induxerunt se in fidem & clientelam Gallię proximę conferre, quę maioribus copijs, magis expeditè, & maioribus facultatibus eos tutari, quàm Orientale Imperium calamitatum Oceano superinfuso iam ferè demersum vllo modo poterat. Pontificibus & tunc temporis & iam inde studium, consilium, & ingenium Romam iterum ex *Albæ ruinis* (licèt in alio elemento) excitandi, principium magnitudinis suæ ex alterius potentiæ corruptione extrahendi, & illorum errores quorum nutum ante spectabant, in eorum vsum conuertendi defuisse illi per me credant, qui ex iudicio, rerum vsu, & veritate aliud cogitare non possunt. Cùm enim nouus hic è Gallia Imperator diu expectatus, in solio locatus, eos in possessionem misisset, vt & vtilitate & authoritate iusta demensione illis satisfaceret, pro laboribus quos *cum sudore vultus & tremore cordis* in illo constabiliendo impendissent: alias etiam vires & authoritatem amplificandi occasiones arripuerunt, opportunitate captata quæ semel amissa ne iterùm quidem est expectanda. Tunc cœperunt illi authoritatem suam sibi constabilire in eo fastigio securitatis à supercilioso superiorum Imperio quod ex prædecessoribus multi maximoperè animo agitauerant, *tanquam spado mulierem amplexans & suspirans* (vt alia in re concinnè loquitur Propheta) sed irritum

cecidit

cecidit eorum consilium, & planè nullum industriæ fructum retulerunt.

Efficacissimus Magnes qui reuerentiam & amorem ad Ecclesiam Romanam primo religionis vere ineunte attraxit, constantia erat tot Sanctorum Martyrum qui suo sanguine profuso tenellas professionis suæ plantas rigarunt, dum vitam cum honore profundere, quàm religionem cum dedecore abnegare maluerunt. Præterea minime dubium est breui illo quo sederunt tempore hoc illis inprimis propositum fuisse, vt subditos superioribus tanta obedientia, & superiores subditis tanta conscientia colligarent, vt illi cùm sanctissimi tùm fœlicissimi habiti fuerint, qui vel eorum pietate afflati, vel doctrinæ principijs fundati. S. Petri cymba commodissimè rectum & fœlicem cursum aliquandiu tenere poterat, licèt remi iam cessarent, quæ in altum primùm prouecta fuit tantis viribus & industria tot præstantium remigum, qui ad nullum alium quàm cœlestem portum cursum direxerunt. Hæc obseruatio illis noua videri non potest, qui intelligunt quàm difficile & fere impossibile sit Principi ingenio irrequieto qui multis pijs & prudentibus succedit, perniciosum aliquem effectum derepente producere aut contranitendo, aut se opponendo orbibus & motui proxime superioris administrationis.

Ad hoc fastigium ex religionis & integritatis fundamento excitandum, alij lapides, alij lignum, alij calcem, alij arenam, alij suam operam & dirigendi curam *gratis* contulerunt, & singuli pro virium & facultatum ratione manum admouerunt. Postquam autem Pontifices authoritatis suæ vires Imperatoribus semotis, intellexissent, cùm ex angustijs se explicâssent, occasionem arripuerunt brachia expandendi & vires extendendi in elementa quæ non minùs quam *Terra incognita* illis antea fuerunt omninò ignota.

Ex illis Pontificibus qui limatè & veteratoriè ambitiosi, cùm in Romana historia (vt credibile videtur) legissent Cæsarem nunquam absolute potentem fuisse *priusquam potestatem Pontificiam cum Cæsarea potentia coniunxisset*, in rem suam existimarunt

existimarunt, quamuis in alio quasi climate *Cæsaream cum Pontificia coniungere*, minimè ambigentes quin vt in *abstracto* fuerint cum honore obseruati, sic in *concreto* cum obseruantia formidarentur.

Necessitas quæ post decessum Caroli Magni Italos Pontificum auxilio pro communi defensione inniti adegit, conscientiæ vinculum quod maximam orbis terrarum partem Romam attraxit, vel vt pro animarum salute satisfacerent, vel vnitatem conseruarent, Imperatorum & Regum confidentia referendo simultatum aut dissensionum inter ipsas caussas ad eiusmodi Episcopum qui paterna animi æquabilitate in neutram partem propenderet, certamen & æmulatio potentissimorum Principum ad eius amorem & amicitiam conciliandam quem plurimi vt iudicem verebantur, & pauculi aut nulli longo tempore aduersarium suspicati fuerunt, timor & periculum ne res suæ in discrimen vocarentur, de eius Prærogatiua disputando: contributio Christianorum cuiuscunque loci & ordinis, vt tempora tunc ferebant, ad B. Petri successorem sustentandam: intima gratia quam Papa apud plurimos nationes iniuerat ex prædecessorum meritis qui Pastores & doctores ad salutarem Christi crucifixi redemptionem annuntiandam miserunt; potestas clauium S. Petri in peccatis ligandis & soluendis, κατ' ἐξοχὴν supra omnes reliquos orbis Christiani Episcopos; recepta de Episcoporum conscientia opinio quos Ecclesiæ Canones sollicitos de his quæ sunt mundi noluerunt, præ secu'ari authoritate cui iurisdictionis amplitudo, longitudo, & latitudo solummodo ante oculos obuersatur; periculum ne quis illi offensam faceret quem maxima pars hominum amore & studijs prosequi enitebatur: solers illa coniunctio clauium Petri cum ense Pauli, vt dum altera reseruaret, altera vt ille Nehemiæ impedimenta resecaret; amplissima latifundia & reditus Petri Cathedræ Caroli Magni diplomate concessa, & Matildis Comitissæ supremis tabulis legata; Pontificum solertia in constituendo Septemuiros Germaniæ ad Imperatorem eligendum, ne illi sæpius Romam commeando ad regu-

 standum

standum vetitum fructum in horti medio nouo appetitu excitarentur, & inde arborem cognitionis boni & mali assequuti, authoritatem suam limitationis folijs iam diu obtectam restabilirent: Pontificum cautela in reseruando sibi tanquam *in deposito* ius peculiare inaugurandi & confirmandi Imperatores in vrbe Roma, etiam postquam fuerant electi & inaugurati in Germania, quamuis cùm hoc expeterent raro impetrarunt, Pontificum vigilantia in retinendo & conseruando Regalia illa iura in manibus Electorum & aliorum Principum quę ad tempus superiores Imperatores alienauerant, ne confusæ plumæ Aquilæ cum durioribus hisce pennis ad summum Capitolij fastigium iterum se eueherent; diuturna illa & strenuè contentiosa factio *Guelphorum* & *Gibilinorum*. Firmissima illa inter Pontificem & Reges Galliarum confœderatio, qui ramos sacrosanctæ potestatis tanquam plantæ ex sui-ipsius solertia enatæ, contra omnes irruentes turbines & tempestates tueri semper contenderunt, prouidentia quam Pontifices prudenter, ne simultates aut inimicitias cum aliquo potentiore Europæ Principe gererent, priusquam Principem alium ex parte opposita sibi adiunxissent vt vel adequare vel superare possent, arctissima necessitudo quæ inter Pontificem & omnes Ecclesiasticos in omnibus Regnis Romanè Catholicis intercedit, exercendo ius inuestiendi & confirmandi Episcopos qui summæ rerum in Ecclesia pręsunt, & quasi recta obsequij linea *Laicorum* conscientias & deuotas animas ad suum nutum secum trahunt. Recepta Pontificum consuetudo seligendi Cardinales & Ecclesiæ administros ex eiusmodi potentissimis & honoratissimis familijs, vt & ipsos & omnes ipsorum necessarios summo officio & summa obseruantia in perpetuum deuincire possent; reseruatio in casibus quibusdam ad quos *audiendum* & *terminandum* ipse Papa seipsum quasi diplomate delegatum constituit, qua & ipsos gregum duces sine expressa aliqua relaxatione, *ab ipso ore Apostolico* se in personis sistere adegit: consilium amandandi Principes in Bellum Sacrum quamprimùm lites Ecclesiæ Romanæ intendere cœperunt,

vel

vel eorum absentia maiori vsui esse poterat: Locales interdictiones Pontificum mandato ne sacerdotes sacra celebrarent, quod (quantum ego legendo obseruaui) primum inter Angliæ Episcopos præcipiente P.P. Alexandro Tertio circa annum Salutis MCLXX. in vsu fuit, verùm minùs fœliciter illis qui Pontificis mandata strictiùs obseruando, quàm Regni iura permisserint, in facultatum & libertatum discrimen deuenerunt. Postremò præsidia & munimenta ad S. Petri patrimonium propugnandum posita, vt semel dicam, sublimes fuêre gradus per quos Pontifices ascenderunt ad illud culmen ex quo Principes in ciuili sua authoritate proculcarent, quod multi conqueruntur, alij tolerant, sed certissimè cùm ipsorum res agatur, ne vnus quidem approbat.

Quamdiu (vt grauis, eruditus, & Romanè Catholicus prodidit) Pontifices in ea quæ ad animas spectârunt, solummodò fuerunt attenti, in primis votis habuerunt sub ciuilis authoritatis ala & vmbra protegi. Sed Imperio citiùs quàm surrexerat collabente, Pontifices Imperatorum & arma & amorem negligere cœperunt. Tunc scribendo & argumentando defensarunt Ecclesiæ esse potius leges Imperio præscribere, quàm ab Imperatore recipere, pleno passu progredientes, nunquam præ timore respicientes ne cum Lothi vxore in *statuam Salis* transformarentur, & nihil magis cum horrore quodam extimescentes, quàm ne postliminij iure in pristinam illam exilem & humi repentem vitæ conditionem reuoluerentur, Censuras Ecclesiæ vel ad suas affectiones, vel rerum rationes detorserunt, bellis gerendis, opibusque accumulandis diligentiùs quàm Petri cymbæ dirigendæ, aut animabus instruendis incubuerunt. Magis vafrè quàm syncerè studuerunt Consistorium firmare Tyrannorum & *vsurpantium* subsidio, qui Cæsarum iugo excusso, & inermi Imperio contempto nullam commodiorem rationem sese in dignitate & securitate constabiliendi, quàm sub Romanæ Ecclesiæ patrocinio inuenerunt. Ad hoc confirmandum velim vt *per iuratos inquisitio fiat* an Robertus Guiscardus, cùm Apuliam à sacro imperio, scilicet pulcherrimam

plumam a languenti Aquilâ subtraxisset, non eam a Papa iure fiduciario tenere sategerit? Necnon an Rogerus Rex Siciliæ anno Salutis 1130. non eadem arte Regnum illud occupauerit (nihil enim tunc temporis S. Petri sagenam subterfugere poterat) & ex successoribus plures in illa conscientiæ & morum corruptela facti fuerunt, potius *Piscatores Imperiorum, quàm hominum.* Quanquam S. Pauli Censura tantùm ad *interitum carnis*, non autem *posteritatis vel diadematis* protendebatur.

Seculo succedente alij eousque progressi sunt in vendicando & sibi arrogando, vt fronte præsricta authoritatem Imperatores abdicandi sibi assumpserint. Bonifacius enim VIII. postquam (vt Germani Catholici produnt) in habitu omninò Seculari sz. diademate redimitum & gladio accinctum omnium oculis se exhibuisset, professione facta se tam Cæsarem quam Pontificem esse, proximo assultu, eousque se prouexit, vt supra Philippum Regem Galliæ *tam in Spiritualibus quàm in Temporalibus ius superioritatis* vendicauerit. Quãquam ex Scholasticis Theologis nonnulli huic Paradoxo se ex diametro obijciunt, & æquè Pontificem armatum demirentur, ac *Prior* Dunelmensis Episcopum suum Comitatus gladio accinctum olim admiratus, cum exclamarit, *O quàm manifeste iam exorbitat noster Episcopus transformatus a vestigiis S. Cuthberti*! Vrbanus non solùm Clericorum personas, verumetiam bona a Ciuilibus tribunalibus deuocauit. In læsæ etiam Maiestatis criminibus Pontifices sæpenumero à seculari iudicio vt Episcopos eximerent, nullum non mouerunt lapidem. Quamuis hoc à Principibus absolutis vt ius agnitum nunquam impetrare poterant, nihil-ominus Papa intercedente nonnulli Principes eiusmodi Criminibus gratiam fecerunt. In medium producatur Platina vt testetur de admirandis incœptis & machinationibus pertrahẽdi singulos orbis terrarum Principes vt sceptra & diademata gererent *ad placitum* Successorum S. Petri. Ex his alij in quæstionem postulati in Actione personali, alij de verbis temerè emissis, alij quia steterint à Principibus quos Papa oderit, alij quòd

negotijs

negotijs quæ Pontifici placuerunt, se intermiscere abnuerint, alij vt ipsum Pontificem communirent, & aliquando vt aduersarios magis contererent. Hoc certò mihi compertum & ex eorum confessione qui semper Canonibus Romanæ Ecclesiæ in religione se conformarunt, postquam illud S. Gregorij quasi clauo trabali in conscientijs Christianorum defixum erat (qui illis temporibus magis timidi erant ne offenderent, quàm studiosi vt discerent) *sententiam Iudicis quamuis iniustam timendam esse*: quanquam omnes Europæ leges ex ipso naturæ iure in eiusmodi caussis appellationes admittant, quamcunque actionem Papa tamen intendit ex offensa iusta vel iniusta, cùm ille plerumque sit & Iudex & Actor cui satisfactio præstanda, quanquam Imperator diademate sit exspoliandus.

Quinimò quia *Homo spiritualis iudicatur a nemine*, iurisconsulti Canonici, eò adulationis ad beneuolentiam aucupandam postea sunt progressi vt Pontificum Romanorum censuram omni omnino examine exemerint, quamuis vnà secum animarum agmina ad inferos trahant. Quod quamuis prudentiores & æqui rerum æstimatores vt doctrinam Mahometis schola quàm Christi Ecclesia digniorem reijciant, semper tamen (vt probabile est) æquè habebitur *error prædicationis ac conuersationis*, priusquā, vt cum S. Hieronymo loquar, *Asterisco iuguletur*. Emmanuel Græcorū Imperator maximoperè cum Alexandro Tertio egit, vt Orientale, & Occidentale Imperium ad maius firmamentum & certius contra hostes fidei Christianæ subsidium adunarentur, non aliud tamen tulit ille responsum, quam se nolle id vnire & coniungere, quod maiores sui de industria disiunxissent, licèt illis reuera magis vitio vertendum qui consilia sociarunt & dextras vnà admouerunt, cùm non alij quàm homines essent, ad illud separandum quod Deus coniunxerat. Quanquam Alexander ille eiusmodi responso tā expressis verbis ad Emmanuelis postulatum modestè abstinuisset quæ induceret homines illud idem ipsi dicere, quod ancilla S. Petro, in summi sacerdotis aula, *Verè tu ex illis es, nam & loquela tua te manifestum facit*;

Veruntamen ex ratione quam Prædecessores huius Pontificis inierunt, *sedem imperij* in Germania constituendi vbi ex longo interuallo interposito minùs officerent, quàm in *Romana Metropoli* vbi Pontificis gloriæ obstruere posset, facilè animo complectamur, & obiectum circa quod versabantur, & quis huic consilio finis. His adiungo Conuentionem alterius ex huius ordine cum Carolo Andegauensium Duce priusquam in Siciliæ Regno confirmaretur, vt neque ille dum superesset, neque hæredes & successores eius Imperium capesserent, si quando Germaniæ Principes Imperium illis deferrent, multò minùs ambirent, vsu enim edoctus ex diuturno inter Pontificem & Fredericum qui suo iure & Imperator erat & Rex Siciliæ, pertimuit ne tanti Regni vicinitas, si in malum vicinum caderet quocunque iuris obtentu, facilè magnanimum Principem excitaret ad pristinum ius recuperandum. Quia quomodocunque quæstiones inter priuatos ex Præscriptione finem inueniunt, attamen vbi gladij sunt vibrandi, præscriptio nulla quantumuis diuturni temporis, Cæsari occurrit. Non est cur inpræsentiarum prouidum illum & prudentem Cardinalem nominem, qui nuper in Conclaui opportunam cautionem Collegis in Pontificis electione interposuit, videlicet vt non seruilem in modum studijs potentium Principum inseruirent, qui sede vacante beneficiarios suos S. Petri Cathedræ commendarunt, non alio consilio quàm vt subtili solertia Ecclesiæ Romanæ Maiestatem in nudum ius Patronatus reuocarent, quemadmodum accidit animosis illis Cæsaribus imperantibus: & dum poterant seruile illud iugum repellerent quod multorum sanguine, opum profusione, & summa prædecessorum prudentia (qui vitam suam Ecclesiæ libertati posthabuerunt) excussum fuerat. Hi gradus fuerunt quantum ego colligere possum, vel obseruando temporum decursum, vel historiarum relationem, vel certa experientiæ documenta, quibus Pontifices ascenderunt, nonnunquam cautè, aliquando perfidenter (sed translato in Orientem Imperio) plerumque potenter ad hoc excelsum authoritatis culmen, qua præmuniti (quod de Dauide in sacris

cris literis dicitur) *cum Leonibus tanquam cum Agnis luderent, & super Aspidem & Basilicum ambularent.*

Quicquid *Soto*, *Syluester*, *Symancha*, *Nauarrus*, vel *Bellarminus* aut opinentur, aut Distinctionibus illis quasi chymicè extractis *directè*, & *indirectè*, *propriè & impropriè*, *simpliciter & secundum quid*, *Absolute*, *& tantummodo in ordine ad Spiritualia* in lucem protrudunt, quia in hoc *mandata Dei propter suam traditionem transiliunt*, perinde ac ouiculæ sua ipsarum vmbra territæ sepimenta trepidè & confertim transiliunt, nihil de subiecta ex altera parte fossa suspicantes, nihil ad propositum firmandum è sacris literis proferentes, nihil quod antiquitate venerandum spectantes, nec vllam rationem alicuius momenti de suo adiungentes, Scholas vociferationibus, Ecclesiam erroribus, & Rempublicam Christianam tragœdijs complerunt. Ad illas Distinctiones profligandas quæ nihil aliud sunt quàm peripheriæ & anguli obtusi ex Scholasticis Ideis effictì, non ex limati iudicij fundamentis quæ modo dixi extructæ, eruditissimorum Episcoporum cohortem producam, quos Sholastici illi veros & absolutè perfectos Catholicos habuerunt (quosque recta serie rectos Christi hæredes agnoscunt & tanquam Apostolorum successores obseruant) qui in grauissimo seruitutis tempore *priuatiuis* & *peremptorijs* Pontificum contra suos Dominos Censuris suffragari noluerunt. Fidem Principibus datam obseruarunt illi ex conscientia, absolutione Canonica postposita, & nunquam minis vel terroribus Romæ intonantibus, vel tantillum à legibus sancitis, vel ipsorum ergà patriam officio recesserunt. Illos minimè latuit summum Sacerdotem sub lege *infirmitate* fuisse *circundatum*, & lege astrictum tam pro suis ipsius peccatis, quàm populi sacrificium offerre. Legerunt illi B. Petrum eclesiæ Romanæ fundatorem Satanam voca tum fuisse quòd Seruatori nostro minus sane consuluisset, postquam Seruator prærogatiuæ titulos quos vrgent, illi contulisset. Norunt improperatum illi a S. Paulo fuisse, idque coram, quia arctiorem fidei propagandæ rationem inierat. Ab Apostolo edidicerant eousque alios imitari, quousque illi

Christum

Christum imitati erant. Audiuerant plures Pontifices plenius edoctos, priores Censuras reuocasse, atque Alexandrum Tertium Archiepiscopo Rauennati indulsisse quo minus suis praescriptis satisfaceret, ea tamen conditione, vt rationem etiam redderet cur non satisfaceret. Adrianum etiam obedientiam *manente dubio*, vrgere noluisse. Valde commoti erant exemplo illorum religiosorum & fidelium auditorum Thessalonicae qui sacrarum literarum locos a S. Paulo citatos, scrutati erant ad examen an doctrina *ita se haberet*. Postremò quia deprehenderunt priuilegium illud *Papam non posse errare*, ab ipsis scholasticis Theologis circumscriptum fuisse, *quoad fidem, non politiam*, & *Cathedralem* potiùs esse quàm *Personalem*, apud plures grauissimos eius seculi Episcopos vsu receptum erat, vt Papales Censuras tam ad diuini verbi stateram, quàm ad Consistorij trutinam examinarent, & eousque insurgenti iurisdictioni viam sternerent, vt cùm ad supremam horam venissent non illis in *cordis singultum* cederet, quod de curriculo deflexissent. Si quis ex his quaesitoribus qui iuris nostri formula, *ex hominibus legalibus* ad rem controuersam excutiendam conuocantur, quouis obtentu exceptione excludatur, quia vel caussae vel Ecclesiae sit fraudi & praeiudicio: ego ipse in me recipiam vt *Rectus stet* in ipsa Curia Romana, idque authoritate sacrorum scriniorum Ecclesiae, quamuis non operaepretium sit hunc laborem subire contra scholasticos Theologos qui sibi adblandientes nouas Distinctiones ex ingenio tortuoso sine vllo verae antiquitatis charactere indies producunt.

Vno & altero verbo iam antea perstrinxi, quousque Philippo Galliarum Regi, qui ob eximiam vultus venustatem *Pulcher* fuit cognominatus, vniuersi eius Regni Ecclesiastici securitatem praestiterunt pro sua erga ipsum fide & obsequio *non obstante* inconsiderata & peremptoria P. P. Bonifacij Censura. Huic adiungo responsum Hincmari Archiepiscopi Rhemensis, Adriano qui sub poena Censurae illum obseruantiam aut obsequium Regi legitimo deferre vetuit, scilicet Vniuersos Regni Galliae Ordines tam Ecclesiasticos, quàm

Seculares

Seculares (publicata Papæ Censura conuenisse) & hanc cum quadam admiratione conclusionem intulisse, eiusmodi inhibitionem nunquam vlli prædecessorum suorum ante hæc tempora emissam fuisse. Quod vt mea fert opinio, tam nouitatis, quàm iniquitatis argumentum est firmissimum.

Ex altera illaque graui de rebus Siculis relatione, in epistola Archiepiscopi Panormitani legitur, quàm nouum Siciliæ Episcopis visum fuerit, cùm nuntius Papalis Episcopum cui pallium tradidit, ad iusiurandum de obedientia Ecclesiæ Romanæ præstanda adigeret; hac strenua exceptione interposita, non inueniri de huiusmodi iuramento statuta in Concilijs. Regnum tamen Siciliæ arctiori clientelæ iure Pontificibus esse obstrictum ex superiori aliqua inter Regnum illud & Ecclesiam conuentione, quàm inter reliquas Orbis Christiani prouincias non inficior.

Cùm Gregorius Quartus seriò in animo destinasset contra Lodouicum *Pium* peremptoriè agere, Episcopi Galliæ conceptis verbis responderunt, *se nolle* suffragari, cumque fundamentum quod posuit infirmum & iniquum esset, experiretur quod *si excommunicaturus veniret excommunicatus discederet*. His ex Regni Galliæ Archiuis adiungatur Ioannem Tanquerellum a Theologis Pariensibus damnatum fuisse, quòd defenderit Papam in caussis nonnullis Regem posse abdicare. Tam inaudita erat ista abdicādi Reges & transferendi Regna doctrina temporibus illis, quæ in Eccles. Rom. fuerunt, propensissima & vt multi vocant, planè seruilia. Sin autem Hęresis & Paganismus veræ essent caussæ, vt plerumque obtenduntur, eiaculandi Censuras contra Principes, melior sane excusationis species, etsi non melior iustificationis ratio adhiberetur (quia nec nos, nec Dei Ecclesia aliquam eiusmodi habemus consuetudinem) certò tamen scimus hanc Prærogatiuam, *Magnam* illam esse *Chartam* cui qui hoc moliuntur maximopere incumbunt. Sit Princeps cui Papa seriò vel simulatè litem intendit omnibus numeris tam absolutè Catholicus, quam ipse Papa, attamen animæ suæ consulendo rebus suis consulere non poterit. Actione enim semel intenta, do-

nec quod præsupponitur, agnoscatur, Censura temperetur, vel Papę satisfiat, nihil aliud quàm Hęresis in procedendi formulis obijcietur. Hoc nonnullos Episcopos impulit (obedientia erga summum Pontificem integra) conditiones excutere, & an præscriptum fuerit ab initio secundum legem Dei vt Moyses pręfiniuit. Scholasticorum eruditissimi non sentiunt obedientiam *Abstractum* esse inter nubes, aut *Indiuiduum vagum*, vel vt aliqui Principum Pręrogatiuam volunt esse *nemo scit*. Sed intelligunt officium esse quod suis limitibus ad *Leges Euangelicas* circumscribitur.

Ex hac rationis, æquitatis, & conscientiæ basi substrata, Gerbertus Archiepiscopus Rhemensis excitatus erat, vt omninò negaret quamcunque Donationem homini cuicunque particulari, tanta capacitate fieri posse, vt *quicquid libeat liceat*. Ne ille timore, quæstu, vel ignorantia præpeditus, seductus, aut abductus omnia præuerteret & deprauaret, cum hoc etiam consilio quod in potestate circumscribenda, Sacrosancta Euangelia, Prophetæ, Apostoli, & Ecclesiæ Canones spiritu sancto dictante conscripta, & singulis seculis ab illis Pastoribus obseruata quos spiritus sanctus Ecclesiæ clauo præposuit, essent *Lex communis Ecclesiæ Catholicæ.* Hoc Axioma Garneto & didascalis eius ora obstruit. Porro legimus doctissimum Iuonem Carnotensem Episcopum in hac caussa tum alieno animo fuisse, vt Regem cuicunque superiori in rebus secularibus subditum & subordinatum fuisse planè negauerit, quanquam Rex Gallię duriusculè cum illo egerit, quod ab Ordinum conuentu abfuerit in quo Papę contra Regem insolentia asperiùs fuit reprehensa. Et quanquam Rex pro contumacia sua Sanctis Episcopis aures pręberé recusaret (quod tunc temporis controuertebatur) quanquam Papę fuerit ille deuotissimus, Regem tamen diuino iudicio relinquendum censuit. Et vt habet Bractonus noster, *sufficit ei ad pœnam quòd Deum expectat vltorem.* Quàm præfidenter & quoties Synodi, Parlamenta, & Academię Gallię se & Papalis Censurę quasi pręcipilatis hastis, & fulminibus opposuerint in iure Regio propugnando nunc decretis Prouincialibus,

Prouincialibus, nunc Pragmaticis Sanctionibus, & nonnunquam Prohibitionibus quæ omnes neruos superinsultantis authoritatis ita ad viuum inciderunt, vt posteà nec progredi, nec promouere vlterius potuerint, non est cur pluribus prosequar, digitum tantùm intendam ad inaugurationem Galliarum Regis qui nunc rerum potitur celebratam ab Episcopis Romanè Catholicis (nulla ratione alicuius superioris habita sine Censuræ timore, aut quauis Irregularitatis suspicione) dum ille Excommunicationis nodo staret alligatus: hoc iam concludam exemplo ad hanc rem (vt mea fert sententia) perapposito; S. Lodouicus ab ipso Pontifice Romano inter Sanctos *Confessores* in Romanum Calendarium erat relatus, quanquam seuerè decreuerit & sanxerit ne Papales ministri aliquam pecuniæ summam corraderent, se vel qui sibi ab intimis consilijs, inconsultis, idq; nunquam nisi grauiore aliqua vrgente necessitate.

Verùm ne Garnetus & Collegæ contra Regnum Galliæ exceptionem interponerent, quasi leue nimis & incertum illud esset in satisfaciendo, cùm Ecclesia lucrum tantùm aucuparetur; quanquam nos maiorem fidem hac in re adhibeamus, quòd Præsules qui cum Proceribus in hac sanctione consenserunt, & *Orthodoxi* & *Canonici* fuerint. Ego iam Angliæ Reges in Monarchiæ iure intra suas metas & præscriptos limites conseruando, nec posteriores, nec minus anxiè sollicitos fuisse edocebo. Lubeat itaque Garneto & reliquis eiusdem professionis qui contendunt subditos obligari vt exequantur quicquid vel ex hæreseos suspicione, vel ex infidelitatis suggestione, contra Reges dominos suos Romæ decretum fuerit; titulos, nomina, & iudicia illorum exaudire, & intelligere quos ego illorum contemplationi proponam non ex Presbyterijs quæ ad illorum gustum non faciant, sed ex numero Scriptorum Anglicorum qui inter Catholicos quantiuis pretij & aureis Characteribus extant præfulgidi.

Exordiar à primo Regum nostrorum *post Conquestum*, & ad alios sua serie progrediar. *Quid Papæ* (inquit Guilielmus *Conquestor*) *cum Imperij vel Regni libertate?* ad quem cura animarum

nimarum & securitatis Ecclesię potius spectat. Posteà in acriori illo certamine inter Guilielmum Secundum & Anselmum Archiepiscopum de Pontifice Romano (quanquam Regem illum nec Sanctum fuisse *Confessorem*, nec postulata eius singula æqua fuisse asseuerabo) attamen mihi cum bona ipsorum venia adnotare liceat, quo animo & quam obfirmato consilio qnamuis Papa se negotio interposuerit, Episcopi Regi suo adhæserint. *Notum habeat sanctitas vestra*, (scribit Henricus Primus) quod Deo fauente dignitas & libertas Angliæ (me regnante) nullam imminutionem patietur, quamuis enim ego pro mea humanitate iure meo cederem, *Optimates tamen mei, imò totius Angliæ populi id nullo modo paterentur.* Posteà Episcopus Exoniensis Romam missus responsum mite & molle à Pontifice de Regni libertatibus tulit. Henricus Secundus nec Legatum à Roma admisit, nec subditos suos Romam adire permisit, nisi cautione prestita *quòd malum sibi vel Regno suo non quærerent.*

Suffraganeus Cantuariensis admodum submisśe Thomam Archiepiscopum admonuit, Regis iram potius demississimis literis sedare, (quę fuit recepta ratio apud primęuę Ecclesię Pastores) quàm animos inflammando in rebus tam propè deploratis irritare, vt Principem ad defectionem a Romana Hierarchia attraheret. Nubrigensis etiam ex nostratibus, Archiepiscopi contra Regem oppositionem cum zelo Sancti Petri, in quęstione tunc agitata, confert. Quanquam nemo inficiatur, inquit, quin Archiepiscopus fuerit *zelo feruidus, an tamen plenè & secundum Iustitiam, Deus nouit,* cùm *prudens in tempore tacebit, quia tempus malum,* cuiusmodi tempus illud existimauit. Hęc verba modestia sunt plena, innuunt tamen etiam illis temporibus ęquos rerum ęstimatores quanquam vnius eiusdemque professionis, cùm conscientiam excuterent, ęquabiliter iudicâsse, sine acerbitate in subditum, aut iniuria in Principem. Quod me inducit magis magisque laudare illum Ecclesię Canonem, qui magna cum ratione mala inueterata ad viuum asperiùs rescare, vel festinantiùs procedere cùm Censurę nihili ęstimentur,

tur, inhibet. Rerum enim vsus nos edocuit hoc esse *margaritas porcis, & quod sanctum canibus proijcere.*

Tempus quo Ioannes regnauit nihil aliud ferè erat, quàm tragœdia ante omnium oculos & in Angliç cõtumeliam per vniuersum orbis terrarum inter Pontificem & illum in proscenium data, dum Angliç Episcopi in hoc Regni discidio, nunc conscientia duce a Rege contra Papam digladiarentur, nunc factione inualescente, a Papa contra regem animosè starent. Plerique tamen eorum (vt prodit qui tunc vixit) illum obseruantissimè exceperunt & Sacramentis participarunt *Windesoræ*, non obstante sententia qua Rex erat innodatus.

Henricus Tertius cui ex anteacti temporis asperitate vt videtur suspicio fuit oborta, ne grauiùs cum illo ageretur, Episcopos Angliæ ad Concilium Lugdunense profecturos ad iusiurandum adegit vt Decretis (si qua essent) quæ sibi aut Regno suo fraudi essent, assensum non adhiberent. Eodem Concilio Rex Angliæ non literis sed viua voce Episcoporum conquestus est de tributo extorto sub specioso quodam prætextu quasi Episcopi Angliç consensissent, quod Metropolitanus reliquorum nomine omninò factum negauit. Papa autem cùm hoc sibi innotuisset allusione ad Frederici Imperatoris iram contra suos antecessores in hęc verba prorupit: *Regem Angliæ iam* Fredericizare, *sed hoc minimi interesse, quia Rex Angliæ habet suum Consilium, & ego meum*, & tamen suo cum dispendio: Edwardus Primus *Ioannem Lexenton* Equestris Ordinis virum ad vniuersos Episcopos cùm iam Synodum agerent misit, qui moneret vt nullo modo Papæ postulatis satisfacerent (cui vt authoris mei verbis vtar) *& ipsi paruerunt*. Edwardus Secundus obfirmatè collationem muneris Thesaurarij in Ecclesia Eboracensi propugnauit contra Papæ Rescripta qui superioris cuiusdam collationis obtentu, nepotem suum eò promouere viribus omnibus enixus. Et quo quæso fundamento? quia inquit Rex, Proceres Regni iureiurando cùm fidem Principi darent, obligati erant ad Regni iura & libertates tuenda,

inter quæ Ecclesiasticarum dignitatum collatio cum primis locum habuit, & igitur saluâ conscientiâ, ne leuissimam quidem maculam honori quo inuestitus erat, aspergi pateretur. Quod, si (vt ex sacris regni scrinijs constat) non licuerat illo æuo *feodum Laicum Romanæ Ecclesiæ obligare*, quantò nunc minùs liceat aut conueniat, Principis iura aut subditorum fidem obligare?

His adiungo literas ab eodem Principe ad Pontificem eiusmodi stylo & acriori atramento scriptas vt ex *vnguibus Leonem*, protestatur enim & inflammato sanè animi ardore *se ius Regni sui contra Papam & omnes defensurum* nulla personarum distinctione habita. Hinc adnoto Papæ temperamentum qui neque cum animi perturbatione respondit, nec iracundia effulminauit. Quamuis enim Anglia eo sit situ præ quamplurimis Europæ Prouincijs quæ neque tam munitæ, nec Oceano circumfusæ, animo fuit paratissimo ad sui defensionem, si caussa erat iusta & Princeps bellicosus, Papa tamen, vt videtur, sedatior erat quàm nonnulli successorum quibus plura & maiora obiecta fuerunt impedimenta, vel ille animo perpendens ius quod in *collationibus* & in *inuestituris* sibi in alijs Regnis arrogauit, vbi Principes erant magis meticulosi, poterat saltem minore licèt cum fructu virulentas ipsius exceptiones in medium proferre. Quæ minùs prouidè adhibitæ sunt, nihil aliud, vt Zachariæ verbis vtar, quàm vascula pastoris imprudentis.

Neque lex, neque natura aliquam agenti *potestatem operandi* ad se defendendum *sine præparatione mediorum* permittit: ex consequentia igitur inferatur, vel animi ardorem vel potestatem, vel media ad ea plenè perficienda quæ in votis habuerat Papæ defuisse. Abbas Tauistochiensis, Edwardo I I I. regnante, quingentis *Marcis* mulctatus erat quòd a Roma *Bullam* receperat in qua inerant *aliqua verba Regi & Coronæ suæ præiudicialia:* vniuersus Parlamentarius Conuentus Ordinum Regni in quo Episcoporum, Abbatum, & Præsulum inter Proceres non exiguus erat numerus fidem regi Richardo Secundo obligauit ingenua protestatione facta, se defensuros

Regalia iura & immunitates omnes, etiam contra ipsum Pontificem Romanum, simulq; rationem in archiuis obsecro protestatione quam modò dixi dignissimam, scilicet ne *Corona Angliæ* quę semper libera fuit & nullum superiorem agnouit, ex improuiso seruitutis iugo opprimeretur. Et hinc grauissimum crimen quod exaggeratum ad Richardum Secundum Regno abdicandum fuit, quod Papales *Bullas* admittendo *Coronam Angliæ* quæ immunis à Papa, & exteris principibus quibuscunque fuerat, in seruitutem coniecerat.

Pontificum Romanorum in rebus Anglicis ignorantia impulit Prudentes Regni Anglię sub illo Rege & Successoribus vt damnarent, infirmarent, resigerent, & reijcerent omnes *Bullas*, vel *Breuia* Româ emissa, quæ ad Papæ directionem fide & testimonio alicuius Episcopi in Anglia, non munirentur; illique Episcopi (vt ex historijs & Archiuis deprehendimus) minori pretio sunt habiti apud Principem & populum, qui Romam ad externum subsidium sibi comparandum aduolarunt, cum sibi melius consuluissent se ad domestica oracula conferendo, *& non ad transmarina iudicia*, quod Concilio Carthaginensi fuerat inhibitum.

Qui velint sigillatim edoceri quàm malè cesserit nonnullis Episcopis qui ad Papalia Decreta exequenda, licentia a Rege non impetrata, proiectiores fuerunt, inueniant, Episcopi Eliensis & Norwicensis temporalia in fiscum redacta, quòd *Bullam* contra Hugonem Comitem Cestriæ promulgauerint. Obseruent etiam Episcopum Eliensem pro Tribunali Regio à Quæsitoribus iuratis feloniæ damnatum fuisse, quanquam audenter exclamauerit *se vnctum esse domini & Fratrem Papæ*. Episcopus Carleolensis itidem licèt etiam ille vnctus regnante Henrico Quarto, pro Tribunali læsæ Maiestatis damnatus fuit, (nec in Papæ quidem caussa) idque non immeritò. Quanquam enim Solomon ex speciali gratia & erga religionem obseruantia vitæ Abiathar pepercerit, *quia portauit Archam Domini*, quod tamen *virum mortis* vocauerit rectè inferam, quòd secundùm iustitiam de eius vita agere poterat, de eius tamen abdicatione ipsæ sacræ literæ clarè loquuntur.

Huic

Huic exemplo graue iudicium Baptistę Baiardi Iuris prudentissimi adiungo; Quod Episcopus in crimine læsæ Maiestatis ratione muneris à iudicio merè Seculari eximi non possit. Ad quod confirmandum nemo verius testimonium perhibere potest quàm Philippus Pomineus, quam facili responso, Rex Galliæ importunam Papæ per *Nuntium* intercessionem, ad Cardinalem melioris notæ, & maioris dignitatis è carcere liberandum, elusit.

In ipsa Hispania quæ hoc nostro sæculo nihil antiquius, nihil charius habet, quàm quæ *Ecclesiæ libertas* vocatur (licèt illa nec suis limitibus circumscribatur, nec ab vllo vtriusque iuris Doctore hactenus definiatur) Hispanici scriptores asserunt Episcopum Conimbricensem à regni Ordinibus coactum fuisse reuocare sententiam contra Regem, quam ipse Papa comprobauerat, & iustam pronuntiauerat. Petrus Rex Aragoniæ in contumeliam *Papalis Mandati* sub pœna Censuræ ne vlteriùs titulo Regis Aragoniæ vteretur, quem ille ex sua gratia alteri contulerat, illico se *Imperatorem Maris & Regnorum Dominum* in titulo appellauit, vt potiùs in titulis altius ascenderet, quàm per Papæ gradus de suo descenderet.

Si vacaret, plures Hispaniæ Reges enumerarem, qui peremptorijs Ecclesiæ Romanæ Censuris nunc ex incontinentiæ suspicione, nunc ex inhibitione remigij in Petri cymba, nunc ex collationibus, transpositionibus, inuestituris fere *ad deliquium animi* obstiterunt in suis prærogatiuis propugnandis, idque nullo conscientiæ scrupulo, ne Papę animus exacerberetur. Mœnia & munimenta castri Sancti Angeli Romę Caroli Quinti (qui Philippo nunc Regi Hispaniarum auus) patientiam & humilitatem testentur, cùm Papa animi ęstu abreptus & obedientiam filij, & patientiam tanti Principis grauiùs exerceret. Minimè dubito quin Garnetus admittet mille annis iam anteactis non fuisse Ecclesię Romanæ filiam magis obsequentem quàm fuerit Maria Anglię Regina, quę ne respirare pre sollicitudine poterat donec errantes Regni sui oues (vt ipsi videbatur) ad Sancti Petri Ouile reduxisset

xisset, attamen seueris Papę contra Philippum maritum suum Censuris posthabitis, nũquam destitit marito pecunia, & copijs subuenire, donec ille in gratiam Ecclesię fuisset receptus, & bellum consopitum. Vt enim illa ex lege diuina intellexerat se obstrictam fuisse marito adhærescendo, quocum facta erat *vna Caro*, omnia derelinquere; ita in eadem lege diuina quoad factum, non arctius vinculum, nec firmius testimonium, vt Censuræ Sacerdotis obediat inuenit, quàm cùm obseruet Sacerdotem legi diuinæ *inniti, quam ipse secundum legem docuerit*, Quæ verè lapis ille Lydius est, ad quem omnis proba Christianorum moneta, cuiuscunq; Imaginem vel titulum præ se ferat est examinanda, si modò ęruscatam, vel æquitatis & pietatis fundamenta suffossuram deprehendamus. Donec enim vel doctrinæ vel experientiæ lumine illustratus videro; Deum omnes natura Stoicos, vel potius trunco obtusiores creâsse, & Papas non solùm *Mysteriorum dispensatores*, sed tanquam Angelos lucis, vel maiores Angelis lucis (quia in illis, vt Iob prodit, *inuenit prauitatem*) constituisse, cum bona illorum venia, in huiusmodi rebus excutiendis, mihi mea ratio licèt illa exigua, & magna mea obseruantia est adhibenda: cæteris qui aliter sentiunt per me liceat prudentiam obseruatione comparare, quam in hac vita omnes omnibus temporibus nec habuerunt, nec habere poterunt.

Ex his exemplis, & quàm plurimis alijs quæ temporis angustijs exclusus proponere & amplificare non possum, pro comperto habeo cùm Principes, tùm eorum Episcopos huiusmodi Papalibus Censuris quæ ad eorum Prærogatiuam & dignitatem spectarunt, nec diutius, nec sæpiùs paruisse, quàm ingruente tempestate cùm vel ex imbecillitate, aut ex necessitate vela contrahere coacti fuerint: Decreta *etiam priuatiua* sæpenumero ad leges *positiuas* confirmata fuisse scio, & quanquam multi Reges se spectatores otiosos vicini mali præbuerunt, si tamen vel sua studia, vel iura in quæstionem vocarentur, & ipsi sine Romanis accentibus legere voluerunt. Si igitur arma quibus maiores nostri contra ambitionem & iniuriam pręliati sunt, vel superstitiosi timoris rubigine exesa

 fuerint,

fuerint, vel supinæ pigritiæ situ obducta, experientiæ lima expoliamus, (cum tam furenter ad arma conclamatum sit) priusquam in securitate improuida sumus intercepti; & nos ad normam diuinam dirigentes, quæ est *verus Index & sui & obliqui*, rectius intelligamus pro ratione superioris authoritatis aut vitã profundere, aut obedientiam submisse præstare. Operępretium certe fuit, vt mea fert sententia, quod nonnulli superioribus annis elaborarunt, diem natalẽ Seruatoris nostri, tam prope ad suum tempus reuocare, quantũ arte & industria fieri poterat, scrupula quædam subtrahendo, quæ labentibus annis longius à suo tẽpore quod in primæuo Calendario constitutũ fuit, diem illum subduxerant. Nec minus certè operæpretium erat in alio genere reducere iura, quæ Papæ in caussis nonnullis, sibi super Reges arrogant, ad eandem analogiam quam sub Gregorio Primo, Leone, & cæteris Romanis Episcopis olim tenuerunt, amputando luxuriantia ramalia, quæ temporum discidio, & Ecclesiam in offensam, & potentissimos Principes in meticulosam suspicionem pertraxerunt. Interea enim temporis audacia suscipit, ingenium excogitat, adminiculum sustentat, conscientia properat, metus inanis consentit, vis præualet, & Maiestas perpetitur.

Nunc Garneti vel bona vel mala venia, mihi incipiendum est dissuere falsas consuturas Canonis, NOS SANCTORVM PRAEDECESSORVM. Quem ille vbi primùm coram Regio sanctiori consilio sisteretur quasi ægidem protendit, postcaque coram Dominis Delegatis esse iustissimum valde asseruit, & hoc ipso tempore (vt vestræ aures testentur) vrget, ad propugnandum ius Pontificum in Regibus legitimis abdicandis & extinguendis; quique quidem Canon nefandissimę illius nuperę coniurationis nodus erat Gordius. Quanquam enim prudentiores qui eruditam conscientiam tanquam ducem, vel certam aliquam regulam sequuntur, coarguant pręproperã illam Garneti festinationẽ in præsupponendo Censuras quas Papa necdũ pronuntiauerat, in tractando suum Principem asperius quàm reliquos eiusdem professionis, in accelerando sine mandatis, & rebellio-

nē sine vllo omnino prętextu concitando; Ego tamē pro hoc tempore *Canonem* illum *de bene esse*, admittam, *vt concusso* fundamento arx ipsa concidat. Vnicus hic Canon, nisi ego me fallo, Papæ authoritatem & instrumenta quæ adhibuit, ad sua vota perficienda, magis imminuit, conuulsit, & labefactauit, quàm omnes in Vaticanum quingentis totis annis assultus, insultus & displosiones. Quis enim Princeps sub coeli complexu de sua dignitate sit securus, quā diu vel minima apud Papam offensiuncula actionem intendat, actio citationē procuret, citatio sententiam producat, sententia vel neglecta, vel non mpleta contumaciā inferat, & contumacia delinquētem ea dignitate spoliat, quam natura tribuit, conscientia asserit, & consensus communit. Adeò vt hoc posito, vel Gregorius Septimus ex successu aduerso, vel homo planè nemo illud Sancti Spiritus agnoscat *quòd in quo peccamus in eodem plectimur*. Verba Canonis validissimè contra Imperiale Henrici Quarti diadema displosi paucula sunt, verùm, illa impetuosa, vehementia, grauia & acerba.

Nos sanctorum prędecessorum nostrorum Statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica authoritate a sacramento absoluimus, & ne eis fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus: quousque ipsi ad satisfactionem veniant.

Huc vsque Canon expressis verbis, verùm cùm hæc sit illa *pillula aurea*, vel potius deaurata, quæ in sacrario, vel Gazophylacio recondita ad Principum bilem *in morbis acutis* euacuandam, hoc est, quandocunque in Ecclesiastica prærogatiua haud bene cum Papa conueniant; Cumque Garnetus pillulæ huius compositionem ita approbet, vt non dubitet in

eiusdem defensione vitam maiestatemque principis sui incomparabilis, & Regię sobolis in discrimen deuocare, dum opinetur illos grauiori morbo laborare, quàm ipsi in se sentiunt. Meâ refert & pro mea erga Principem meum charissimum *obseruantia & obsequio* (quanquam aliàs indignus sim vel *herbas agrestes* cum prophetæ puerulo *in die critico* decerpere) illud primùm *Recipe* Pontificis Chirographo subsignatum examinare, vt accuratiùs cuiusque materię qualitatem intuendo, clariùs intelligam, intelligendo dijudicem, dijudicando concludam, quàm bellè cum pręscriptis melioris ęui & proportione & proprietate conueniat.

Primùm quod in hoc composito medicamento occurrit, scilicet *Statutorum obseruatio ?* illam sanè salutarem ad curandam quamlibet in Ecclesia & republica ægritudinem agnosco, attamen inter Canonici iuris professores, in vsu fuisse non reperio, qui Papam obseruatione regulari cuiuscunque legis aut statuti eximunt, quæ pro suo arbitrio obseruare non lubeat. Sed ad rem quæ controuertitur libens ediscerem, cuius sunt illa statuta, vel à quibus scita & sancita, atque in quo Consistorio? quæ Gregorius Septimus tam sanctè obseruaturus cùm Imperatorem diuina prouidētia constitutum abdicare in animo agitaret, & se pro Deo gereret dum hac in re seipsum similem altissimo fecerit. Sanè Dauid Propheta non fuit ex numero eorum Prædecessorum, qui eiusmodi Decreta promulgârunt, cùm illos omnimodæ insolentiæ, & arrogantiæ condemnauerit, qui subditum ad tollendam manum contra *vnctum Domini* induxerint. Seruator noster non ex eorum numero erat, qui discipulos iussit *quæ Cæsaris sunt reddere Cæsari*, & potius iniuriam perferre, quàm cuiuis inferre, multò minùs Magistratibus. Sanctus Petrus qui primus & præcipuus esse debeat, cùm ab illo Papæ successionis seriem repetunt, eiusmodi Decreto nunquam est suffragatus: ille enim etiam Tyrannis quorum absoluta erat authoritas obedire præcipit. Sanctus Paulus ex illis non erat qui *iubet obsecrationes, orationes, postulationes, ab omnibus fidelibus fieri, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt*

sunt, cuiusmodi Nero Tyrannus tunc temporis fuit, & quorsum? vt Christiani sub eis *quietam & tranquillam vitam* traducerent.

Ex horum Catalogo Xistum Pontificem excludat qui quoad conscientiam potiùs Deo, quàm hominibus obedire statuit, sed quoad obedientiam, Tyrannidi ne quidem obstitit; & hæc fuit Originis sententia, quod *omnia crimina quæ vindicari vult Deus, non per Antistites & Principes Ecclesiarum sed per mundi Iudices voluit vindicari.* Marcellinum excludat qui nullam magistratui offensionem fecit nisi quòd Ecclesiæ notum fecerit, Cæsaris Rescripta non satis authoritatis habere, vt nonnulli docuerunt, ad Idolatriam imperandam. Cornelium excludat, qui in quæstionem vocatus de literarum vicissitudine inter ipsum & S. Cyprianum Episcopum Carthaginiensem, animam iam æditurus protestatus est, nihil in illis literis contineri, quàm quod ad animarum salutem spectaret. Tantùm aberat vt illi obedientiam erga Magistratus subtraherent, vt Gregorius hoc statutum nunquam legerit, nisi enim *seruum esse supra dominum* affirment, quod Christus negat, fatendum est illis Gregorium qui se Mauritij seruum agnouit non illi supereminere, aut dominari potuisse.

Nec verisimile est Anastasium Papam Anastasio Imperatori scribere voluisse, sinum eius clementiæ publicę fœlicitatis sacrarium esse, & eius celsitudinem Dei vicem in terris gerere, si modo illum diadema clientelari iure de Apostolica sede tenuisse existimâsset. Igitur cum venerabili nostro Doctore concludam, quòd *Ecclesiæ primitiuæ* actus imitari sit optima norma & exactissima ad vitam nostram dirigendam.

Sin autem (hac obedientia posthabita) illum regnare coegerint qui se suo ore *Seruum* profitetur, ne obliuiscantur interim illud Regis prudentissimi quòd inter ea *per quæ mouetur terra, sit Seruus cùm regnauerit*. Nondum video quod ius validius quis Papa prætexere poterit pro Prerogatiua leges & Decreta condendi, quàm omnes aut aliqui illorum prætexere poterant qui in eadem fuere serie, & eadem in Cathe-

dra sederunt. Tempore tamen tam diuturno, non inuenimus hoc in quęstionem fuisse propositum, multò minùs in *rem iudicatam* transisse, eiusmodi legibus aut decretis, quæ Paparum ius firmarent aut vsurpationem excusarent. Sed cur nos ita conflictemur & nosmet exerceamus vtriusq; Fœderis libros euoluendo, & Conciliorum volumina excutiendo, aut iudicium doctissimorum patrum indagando de nominibus sanctorum Prædecessorum qui in ipsorum monumentis solummodo consignantur ? Si præcipui & quidam singulares ex vniuerso grege seligantur, & suam ipsius sententiam suis verbis explicare audiantur, inueniantur fortasse hæc illis ascripta fuisse quorum minimè sunt affines. Nuda verba sine iuris demonstratione, aut agnitionis vestigio non sunt in Acta publica referenda. Quantum autem ego legendo obseruarim (qui nigrum Cygnum si fuerat, deprehendere, quamuis quæstionem spinosam dissoluere non potuerim) protestari possim, me nunquam incidisse in aliquem Papam ante Gregorium cui hoc Decretum innotuit, multò magis qui eiusmodi Decretum ad asserendum hoc ius abdicandi sanxit, aut approbauit. At esto, eiusmodi Papam fuisse. Ego hominis peccatoris factum qui facilè labi possit, Seruatoris nostri præcepto, qui cœlitùs a diuinitate doctrinam hausit, haud facilè prætulerim.

Ius Cæsareum statuit *si Princeps caussam inter partes audierit, & sententiam dixerit, est Lex in omnibus similibus* : multò magis in obedientiæ & tolerantiæ caussis, quas Rex Regum & audiuerit, & sententiam dixerit. Si enim Theologi Scholastici verè & consultò determinauerint Papam sine administratione Sacramentali nec peccata remittere, nec Essentiales formas immutare, nec vota *ad placitum* soluere posse, quia absoluta hæc authoritas ad eius clauem qui aperit & nemo claudit solummodo spectet, multò minùs Papa ex animi impetu (quanquam speciosa vela cum multis inuolucris obtendantur) Magistratus possit abdicare.

An Gregorij Septimi Cathedra (vt quidam prodidit) cùm sententia pronuntiaretur, dirupta fuerit (quia Papa vel Sententia

tentia, aut cùm Papa tùm Sententia grauioris esset ponderis quàm Cathedra illa ferendo erat qui mille annis non adeò pressa & onerata fuerit) non mihi nunc in animo est inquirere, sed hoc certò scio Ecclesiæ politiam, disciplinam, & ordinem conuulsa tunc fuisse cùm Spiritus potentia ad immodicas cupiditates explendas peruerteretur, quas mortificatio potius extinguere, quam ambitio incendere debuisset. Sanctus enim Bernardus grauiter ad Eugenium Papam scribit, *Episcopi & Ministri Ecclesiæ cùm tractant politica* (eousq; intelligo, vt pericula Principibus facessant) *limites inuadunt*, functiones perturbant, & falcem in alienam messem immittunt. Si nullus Prædecessorum Gregorij Septimi (inter quos multi erant verè religiosi, & quibus interna pietas, quàm externa pompa magis cordi fuit) conscius erat huiusmodi legis promulgandæ; sed ipse Gregorius authoritatem duorum gladiorum ex tenui apud S. Lucam textu (qui tamen non eodem sensu intelligitur Patribus illis quos in *Catena aurea* citat Thomas Aquinas) assumpserit: an non clarius est hoc decretum simul semelque vno die sancitum fuisse & promulgatum, sine superiori aliquo exemplo vel in *Albo Prætorum*, vel in *Rubrica Martyrum?*

Trithemius author grauis & eruditus ad annum Salutis ↀ I Ↄ V. quo ferè tempore Papa hac iracundia excanduit, affirmat hanc quæstionem fuisse agitatam, non apud Episcopos, sed scholastico puluere versatos, An ad Ecclesiasticam Papæ iurisdictionem spectaret Imperatorem de solio deturbare.

Ecclesia Leodiensis in eadem itidem quæstione, & eodem ferè tempore in literis ad Papam Paschalem datis, affirmat nullum *Sanctorum Prædecessorum* quorum Gregorius Septimus meminit, gladium contra aliquem Imperatorem strinxisse, priusquam ille potentissimam istam Comitissam Matildem quæ dum vixit eius nutum solummodo spectauit, & moriens lautissimum patrimonium Ecclesiæ legauit, Imperatorem exagitare iussisset, idque in *remissionem peccatorum:* cùm Christus ipse quem Gregorius sibi ad imitandum proponeret

poneret eadem remissionis conditione discipulos iubet inimicis non septies tantùm (quod cum Septimi Gregorij numero conuenit) *sed septuagies septies illis qui in ipsos peccant dimittere*, numero finito pro infinito posito, quod cum Gregorij Episcopi munere concinniùs sane consonat.

Otho Frisingensis alter eiusdem æui scriptor, cum duobus quos modo memoraui testibus iuxta sentiens affirmat, quod sibi legenti, & relegenti Imperatorum vitas & Res gestas, nunquam in Imperatorum serie, vel vnum ante Henricum Quartum sibi occurrisse, qui Papæ Imperio exutus & spoliatus fuerit. Cùm hoc itaque sit clarum, & quasi solis radijs scriptum, hinc, *tam quia probatur manifestum*, quam *inde quia non probatur contrarium*, quòd hoc Gregorij factum ex antecedenti iure nullo nitatur e quo probabilis eliciatur consecutio. Libens intelligerem, vt ipse pleniùs erudiar, ex aliquo authore aut recenti, aut antiquo, an iustitiæ esset in Iudice Imperatorem caussa inaudita condemnare, aut prudentiæ in Imperatore diadema in manus Papales sine securitatis cautitione tradere, aut religionis in Papa eiusmodi antiquitatis monumenta venditare, quæ nullibi, nisi in tabulis glacialibus *idque flantibus Austris* consignata. Sed fieri potest vt me meus error abstulerit, vel festinatio prætererit, vel præiudicium omiserit aliquem eiusdem Gregorij prædecessorem, qui eiusmodi Decretum condiderit, nulla habita Principis ratione, vel in sententiæ infirmitate, vel in exempli periculo. Hic enim Papa, Zachariam prædecessorem in medium producit, qui Childericum Francorum Regem Regno deposuit, quanquam vt Gelasius Anastasio retulit, hac sententia in illum lata, non tam pro scelere admisso, quàm imbelli otio, vtique qui tanto regno inutilis fuerit habitus.

Nolim quis me vel tam audaculum, vel tam iniquum rerum æstimatorem putet, vt quæstionem tanti momenti sicco pede transilirem, quasi nullus scriptorum hanc Childerici abdicationem ad amplam potestatem & summam authoritatem Zachariæ retulisset. Ego enim præ me fero nonnullos huiusmodi extare authores, qui vehementiori studio Romanam potentiam

potentiam amplificandi, ex effectu authoritatis tam violentę abrepti fuerunt. Hoc igitur in votis tantum habeo vt mihi tantisper aures prębeatis, & fidem eousque habeatis, dum solidę rationis momenta demonstrent *Pares* Francię conspirante omnium consensu Childericum deposuisse, quomodocunque postea prouidè solliciti erant vt eorum factum tam periculosi exempli, maiorem gratiam apud homines Romano oraculo confirmatum inueniret. Hinc primùm adnoto Gregorium iudicium suo ore in propria caussa afferre, quod Esaias non fecit *qui ad Legem & testimonium appellauit*, nec Seruator noster dum illum excludit *qui de seipso testimonium perhibet*, nec B. Petrus ex beneficio *sermonis prophetici*. Qui Cęsarei iuris consulti nec Cęsari hanc pręrogatiuam concedunt, nec Episcopi Africani Zozimo, nec Ioannes *de Parisijs* Papę, *nisi scripturæ fulciatur authoritate*, nec Ecclesia *Canones* cuicunq; mortali qui humanis affectibus sit obnoxius: verùm hoc non vrgebo, quanquam nouum, & inauditum videatur, quod S. Petri effigies, dum in terris superstes fuerat priuatorum morbis mederi poterat, nunc post eius in montem translationem, functionis vmbra adeò valeret, vt Monarchias pessundaret.

Primùm itaque ad refellendam Absolutionem illam subditorum à fide pręstita & depriuationem à Regia authoritate quę huic Papæ adscribitur, in argumentum arripio Glossam ipsam quæ hoc verbum *deposuit* exponit .i. *deponentibus consensit*. Hinc enim patet probum hunc hominem ab illorum ambitione & arrogantia alienissimum, qui summo honori Papæ ducunt Regem abdicare, sollicitè & modestè studuisse à Cathedra illa crimen aut saltem errorem obiectum repellere, dum Decreti verba, ad probatissimorum Historicorum testimonium accommodaret. In historia enim reperta in Monasterio Fuldensi inter Germanos & ex fide antiqui Rerum Franciarũ Scriptoris constat Pipinũ in Childerici locũ Francorũ Regẽ ab vniuersa gente subrogatum fuisse, *relatione tãtũmodo* missa ad sedem apostolicã. Ex eodẽ etiam authore liquet, quòd priusquam Legatus aliquis Romam missus fuerat,

rat, misellus hic Regis typus *non re*, *sed nomine tantummodò regnabat*, soliumque Maiestatis occupauit in ignominiæ scæna, cùm *reales in nominales* conuerterentur, nemo Ratificationis suffragia demiretur, sed potius imbecillitatis contumeliam obseruet. Rerum summa tunc temporis penes vnum erat, qui *Maior Palatij* dictus, eius solius facta authoritatis plenissima, eius verba pro oraculo, ad eum de rebus controuersis, confluxerunt, gratiasque ei pro beneficijs retulerunt, itaque si verum sit quod *priuatio præsupponit habitum*, verum itidem sit Childericum authoritate quam eo tempore non habuit, priuari non potuisse. Alius prodit Barones Franciæ ad Zachariam Papam misisse, vt eum consulerent, *An fucus ignauum pecus, an sedula apis, ad imperium gerendum magis esset idonea*, Zachariamque (vt olim Alexander ille Magnus) respondisse, *detur dignissimo*. Gaguinus prodit vniuersos Franciæ Ordines Zachariam Papam consuluisse, vter ad rempub. gerendam maximè idoneus esset, *electione data*, is-ne qui otio domi tempus contereret, nihil agens, an *qui industria, virtuteque* publica negotia administraret? Cùm autem Papa responsum quod modo dixi, retulisset, vt Gaguinus ille refert, hoc *adducti responso Proceres sibi Regem delegerunt*. Verùm vt norunt omnes Quæstionem *ex facto* Quæstionem *ex iure* non præcludere, ita Papæ responsum ex prudentia minimè obligat ex necessitate. Iuxtà etiam sentit alter rerum Francicarum scriptor qui sua serie hanc rem persequutus, comprobat Pipini electionem à libero Procerum Francicorum consensu profluxisse, licèt ad omnes scrupulos tollendos, ne homines malè feriati factioni potius quàm fidei ascriberent, magno vsui erat authoritas *Papæ despondentis in dubio procerum*. Res certe eò deuenisset quicunque colores quæsiti fuissent, aut Papa dixisset, *sed abundans cautela non nocet*. Illiq; quorum non omninò vel minimi interest in quæstione, simplicissimo æquitatis oculo rem intueri iure existimantur. Hæc procedendi formula neutiquam noua est, Ioab enim cùm in summa fortuna ab inuidiæ procella sibi metuit, cum Dauide maximopere egit vt ipse accederet, & *Rabbath* munimentum

ad

ad extrema sua industria iam redactum cum honore in deditionem præsens acciperet, ne ille plus nimio tantæ fœlicitatis cumulo intumesceret. Fœlicem illum Medicum dicimus, qui in declinatione morbi ad ægrotum accedit, & solertiæ semper habitum fuit in conscientiam æqui Iudicis sub synceræ veritatis obtentu insinuare, ad sustinendam caussam ex animi impetu susceptam. Quare licèt huic *Maiori Palatij*, vel *Superuisori rerum Francicarum Generali* consultissimum videretur, ambitionem pietatis integumento obuelare, licet Zacharias non inuitus occasionem oblatam constituendi exempli in posterum arripuerit, licèt Francorum Proceres volentes Zachariæ speciem reliquerint, dum ipsi sibi ipsis vim retinuerint; non sit hoc vel documento, vel instrumento, ad Principis maioris prudentiæ coercendos, vel ad Pontifices altioris animi incendendos. Musca enim vehiculi currentis rotæ insidens, perinde puluerulentam nubem: quam ipsa in via excitat, miraretur, ac Gregorius aut Zacharias ex consilio potestatem sibi excitarent, aut hoc pro facto suo existimarent, quod ambitionis incude fabricatum, necessitatis obtentu obumbratum, & ad exitum ab eo perductum qui subordinationis pertæsus, in animo statuerat hac arte, cùm res ferret, ad se Imperij summam attrahere.

Deploratissimæ essent res Principum si *ex factis singularibus* (quod Capitulum Leodiense ad Paschalem Papam grauiter scribit) plumbeas normas in Principum contumeliam efformare liceret. Alij enim præfidenter plùs nimio sibi arrogant, alij de suo iure meticulosè plùs nimiò cedunt, maior pars neruos vlterius quàm debent, contendunt, & exiles illæ normulæ cum in Potentium manus peruenerint, à quibus conscientia exulat, nonnunquam affectibus intenduntur nonnunquam corruptelis distorquentur, & plerumque versuta & fallaci nocendi ratione adhibentur. Ex Pauli Æmilij relatione videtur quòd hæc contra Principes procedendi formula per Pontifices, quanquam sine animi perturbatione & Ordinum Regni intercessione illis diebus vsu minimè recepta fuerit, multò minùs tunc extitisse decreta ambitiosa,

 turbulenta,

turbulenta, & arbitraria. Zacharias enim tam mitis & moderatus principio erat, *vt non auderet tam magni momenti cogitationem suscipere*, Itaque etsi Gregorio Septimo gratiam faciamus de Prædecessoribus in hac caussa nominatis, Prædecessor tamen ipse quadam lenitate iure Diplomatis quodammodo cedit, quod hac in parte prætenderet, nullum obliqui cursus tramitem in tam recta sphera persequendo aut vrgendo.

Ex hoc historico constat, qua lenitate, quo consilio, qua cautione Papa venam illam secuerit è qua sanguis supra quàm doctores præscripserint, mitteretur. Cùm enim compertum sibi esset, Childericum Regem reliquiam esse primi Christiani Clodouei sobolem (licèt marcescentem) sine liberis, sine ingenio, (quæ duo successionis & imperij nerui sunt firmissimi) ita inertia languidum, & voluptate liquescentem, vt dolori amissum regnum futurum non esset, nec vsquam esse qui eius abdicationem quererentur, nec solum Francos de eius abdicatione sategisse, verum-etiam vniuersum orbem terrarum applausisse. Papa assensum adhibuit, proposito forsitan ob oculos vinculo, quo Regem Pipinum Romanæ Ecclesiæ contra Græcos tunc æmulos obligaret. Hoc Crantzium Saxonicæ Historiæ scriptorem impulit, vt firmam inter Francorum Reges & Pontifices necessitudinem demiraretur, qui vt manus manum lauat, mutuas operas ad consequenda quæ sibi proposuerant inuicem tradiderunt. Antonius cum reliquis consentit in interrogatione illa comparatiua inter Principem prudentem, & hominem nihili, inter vmbram, & hominem, inter Regem reuera, *& qui solo nomine regio regeretur*. Addit etiam quòd Regni Ordines, statim atque Papæ responsum fuerit relatum, Childericum abdicasse, & simul Pipinum Regem salutasse. Tantum aberat vt Zacharias ad Childerici personam vel Diadema in hypothesi collimaret, vt si nostrati Ranulpho Cestrensi credamus, tantum *in thesi* proponere cogitauerit iudicium suum de differentia quam prudentes, inter duos Principes varijs studijs & diuersis animorum dotibus, haberent. Gotefredus Viterbiensis huius caussæ

caussæ radice potius quàm ramo spectata, affirmat *Francos Zacharia Decreto non paruisse sed acquieuisse consilio*, quanquam tantum intersit quantum inter Mandatum absolutum & consilium politicum. Sabellicus qui donationem ne quidē somniat, consilium fuisse hisce verbis innuit *consulto prius Pontifice*. Nauclerus expressius si fieri possit prodit, quod postquam Proceres elegissent, Papa confirmauerit, & iuxtà cum eo Blondus nec vi vlla, nec animi affectu abreptus.

Ex Auentino duas conclusionis rationes contra Zachariæ Papæ iurisdictionem deduco. Prima, quod rogatus à Francorum Proceribus, vt iam dictum, responsum ex decem tribuum defectione fundauit (perinde apposité ac si quis rebellionem profligatissimi illius I. Cadi contra inunctum suum Regem tutaretur) nam delicta impiæ illius generationis, maledicta in Rebelles denuntiata, & Censura Prophetarum Dei apertissimè euincunt factum illud à iure & iustitia fuisse alienissimum. Eadem etiam ratio è Zachariæ ipsius Paradoxo peti possit qui defendit quod cum Principes coronas & regnum ex populi electione teneant penes quem remanet absolutè *constituere & destituere*. Quanquam enim doctrina sit tam perniciosa quàm execranda, attamen hinc exploratum est (quod pro me facit) ius abdicandi (quod ipse Papa in populo esse agnoscit) penes ipsum non fuisse, & ex consequenti ipsum consuluisse, non iussisse, adiuuisse, non iudicasse, solùm permittendo approbasse, & non ex authoritate imperasse.

Non me fugit Garnetum, & suos tam ægrè Centurias Magdeburgenses de Childerico admissuros (quàm alios ex altera parte Ecclesiasticos Baronij Annales) vlterius quàm authoritate suffulciantur, quod me inducit lubentius illas prætermittere, & rem fidei eiusmodi authorum relinquere, quibus nulla erat ratio aliquid præter veritatem ex alterutra parte scribendi, Quia illis temporibus non formula, sed materia non adiacentia, sed ipsa substantia, non *quo iure*, sed *ad quem finem*, inter Papam & Ordinum conuentum in quæstionem deducebantur.

Quod ad litem à Papa contra Henricum Quartum illatam,

Capitulum Leodiense ingenuè præ se fert, quòd cùm quàm accuratissimè vtrumque Testamentum perlustrassent, in nullum *huiusmodi præcepti Apostolici* exemplum se incidere potuisse. Prouida certè hæc cautio ne faciles simus in diffidendo relationibus & testimonijs eorum qui turbulento isto tempore perturbationibus vacui, modestia temperati, sacris literis & iure pereruditi, pacis & tranquillitatis Ecclesiæ, magis quàm partium studio adducti, affirmant solidè ex scientia, & confidenter ex sua fide hunc Septimum Gregorium primum fuisse Papam qui Principem potestate clauium S. Petri deposuit, vel vt cum ipsis loquar, qui sacerdotalem Lanceam contra Cæsareum Gladium vibrauit: ne semel somniantes de superiori aliqua actione à Zacharia Papa contra Regem Childericum intentata.

Ipse Imperialis diadematis circulus (quousque aliquid in hac sublunari regione pertingere possit) motus continuationem innuit: secundum enim Mathematicorum Theoremata, vt ab omni parte similiter incipit, ita *in seipso desinit*, sine vllo aliquo termino ad quem se moueat, Quòd verò Papa nonnunquam imperiale Diadema Cæsarum capitibus imposuerit, ex quo Pipinus (qui fuit primus nisi me fallo) à Papa inauguratus, non inde colligatur illi licere Coronas Principum hinc inde quasi ludens instar pilarum agitare, iactare, & retorquere. Hæc enim compendiaria esset ratio signis substantiam subruendi, formalitatem necessitati, & occasionem institutioni ex diametro obijciendi. Cuiuslibet Regni Primas & Metropolitanus tantum in forma potest, *non conferendo ius sed implendo iustitiam*, vt accommodatè ab earum partium studioso dicitur. Quamuis enim Papa supremam authoritatem Romæ coronandi Imperatorem electum retinuerit, & assentatores nonnulli inde ex necessario inferant Imperatores Romæ confirmandos esse, & constabiliendos: Imperatorum tamen multi seculis superioribus, & Carolus Quintus nostra, parati fuerunt, etiam gladijs strictis (cum obsequio tamen & reuerentia qua filios erga Matrem Ecclesiæ decuit) authoritatem suam absolutam asserere, etsi illa ceremonia, & *relatiua*

formula non adhibeatur. Hanc de Childerico Rege quæstionem concludam argumento irrefragabili, modò testibus sua constet authoritas. Soto etenim ex Fratrum ordine, & in scholastica theologia diu multumq; versatus affirmat, quòd *extra caussas fidei ipsi Pontifices nunquam ausi sunt Reges deponere.* Childericus autem in caussa fidei non erat depositus, sed vt Papa Gelasius ad Anastasium scribit, quia nulli erat vsui Ecclesiæ, itaque fieri non potest vt Childericus à Zacharia P.P. deponeretur. Quæ & quantæ exclamationes & querelæ contra iura religionis coloribus obumbrata olim intonuerunt, nihil explicatiùs loquitur, quàm obfirmata illa oppositio contra Pelagium Papæ Legatum in *Terra Sancta*, cùm ille capta opulenta vrbe Damiæta, omnes manubias & prædam, in Ecclesiæ vsum pertraheret eiusmodi partitione, quæ inter Leonem & bestias reliquas facta, quas in venationis societatem vocauerat. Certum etenim est, quòd primùm demirabantur, & posteà conquerebantur quòd eius minister cuius erat ipsos consilio adiuuare, & confirmare, nimia habendi cupiditate animos minueret & infirmaret.

Quod ad exemplum illud à Gregorio Septimo de Alexandro Primo *prolatum* (qui alter habitus Prædecessor) absoluendi Christianos à Sacramento fidei erga Principes, malè feriati esset, vel responso dignari. Cùm neque in sensu communi, neque in antiquitatis fundamento verisimile sit. Mille enim annis post Alexandrum illum Primum hæc ratio subditos à Sacramento soluendi non in lucem prodijt, multò minùs in vsu fuit. Minimè probabile est Papam illum prudentem omnique animi perturbatione vacuum (vt in primæua Ecclesiæ infantia singuli fuere) Principem infidelem in disciplinæ gyrum reducere voluisse, cùm ipse Paulus eos qui *foris*, & non ex ouili suo iudicare noluerit; nec minus verisimile est cum Episcopi Romani animabus lucrandis obedientiâ inprimis inuigilarent, voluisse Principibus illis Deo displicere, qui ex suis legibus absolutissima præditi fuerunt authoritate. Fieri potest Alexandrum illum Primum solatio & securitate pręmuniuisse conscientiam nonnullorum Christianorum

stianorum qui plus nimiò solliciti erant de Sacramentis impijs & iniquis quę ipso iure sunt nulla(etsi Papa non dispensauerit) & itaque potiori apud Deum conscientia violantur, quàm obseruantur. Verum quomodo hinc colligitur fidem Principibus legitimè datam qui iure optimo (quanquam illi non semper optimi) in solio regio collocantur, violandã esse, cùm Ecclesia damnet, & lex nulla ratum habeat? Absurdissimum iudico Ecclesiam Romanam ad suam magnitudinem asserendam, vel Ecclesiam vniuersalem in documentum, eiusmodi factum (si quod eiusmodi fuisset) in literarum monumentis non consignâsse, sed minimè difficile est *quidlibet ex quolibet* probare, cùm hominibus liceat suas Theses procudere supina securitate quòd neque audaciæ nec ignorantiæ rationem reddant, & posteà pietatis protestatione commendent.

Cautio quam S. Petrus adhibuisse perhibetur in S. Clementis ordinatione vz. quòd nemo fauore aut amore, à veræ religionis professoribus exciperetur, contra quem successores eius animo essent offenso, admittatur sine vllo hac in parte præiudicio, si de iustis offensis quas lex diuina punit, intelligatur. Incidunt tempora cùm ille qui vel verbo salutat, & bene precatur peccatori dicitur *communicare operibus ipsius malignis*. Sed hoc non semper, cùm S. Clementis successores Censuras magis ex animi perturbatione, quàm ratione effulminant. Principes Christiani ne in cogitatione illis versabantur, quando hæc inita ratio, & itaque longiori interuallo remoti, quàm quo PP. Alexandri telum collineare poterat, quod sine cuspide, Regem tam longè remotum, sauciâsse perhibetur. Ratio hoc euincit, Pastores Ecclesię cũ nos ex ouili excludant, tantum illis beneficijs spoliare posse quæ cum in ouile admissi fuimus, contulerunt, hoc est regno cœlesti quod quantiuis pretij, non regno terrestri, Cõmunione Sãctorum, non peccatorum, æternà beatitudine, & non momentaneis beneficijs. Synthesis illa exilis & paupertina est, ut Garneti collega in eiusmodi caussa scripsit, quæ tritas & laceras vestes pro honorarijs trabeis præbet: & res admodum

admodum est accisa, cum calculi Aureorum loco expendantur.

Hi sunt Prædecessores omnes quos Gregorius Septimus quasi personatos inducit qui aleam pro principis Corona iaciant, vt milites pro inconsutili Christi tunica: prodeunt enim & exeunt taciti, & nihil innuunt nisi signis quæ planè nihili. Horum esset potius apertè demonstrare quàm speciem exhibere, disputare quàm ludos facere. Haudquaquam conuenit vt Papa tam perfricta fronte gladium rubigine exesum super caput inunctæ Maiestatis vibraret: qui quidem gladius ex quo Petrus iussus erat recondere, nec eductus fuit, nec ex Christi præcepto educendus erat. Eadgarus Rex in oratione nunquam satis laudata cùm Anglo-Saxonicis Episcopis persuadet quibus erat Petri Gladius, manus cum ipso coniungere, cui erat ensis Constantini ad Ecclesiam expurgandam, nihil minùs sensit quàm penes Episcopos fuisse, in illum materialem gladium qui eius custodiæ demandatus, exercere. Dunstano potius in eadem oratione planè dicit quòd ipse hanc authoritatem Episcoporum curæ detulerit vt delinquentes castigarent: at quomodo? *Episcopali Censura & authoritate Regia.* Gregorius Septimus nondum euigilauit quod nomen iussit, cùm duobus gladijs in vna vagina reconditis nihil magis in votis habuit, quàm Principes ex acie suis ipsorum armis profligare.

Quomodocunque autem nonnulli animi pusilli principes qui authoritatem ad vitam à Deo acceperunt, nihilominus ad Papæ arbitrium tenere non sunt dedignati, hoc minimè impedit, quò minus alij acrioris & excelsioris animi inquirerent de iure suo, priusquam secum ex æquo agi patiantur. Subditi fideles & qui non facilè ambitionis aura à fide abripiuntur, firmo pede fundamento quod est obedientiæ vinculum, insistunt, nec à violentis vsurpatoribus, nec iniquis interpretibus labefactari possunt. Agnosco pij pastoris inprimis esse vt Christi ouiculæ suo tempore in ouile colligantur, & ab inhiantibus lupis securè conseruentur. Ouiculæ autem pro sua etiam parte inprimis caueant ne Lupus fit illis

Dux gregis, quod toties in multis Ecclesijs accidit, quoties Episcopi ex animorum æstu & vlciscendi ardore causæ maiorum cladium extiterunt, quàm Hæretici aut Pagani ex sua malitia & malignitate. Adhæc, si fides adhibeatur admirandæ visioni illi cuius meminit Sozomenus, quæstio exorta & agitata fuit non solùm inter doctos in terris, sed etiam inter Sanctos in cœlo, quid de Iuliano illo Apostata agendum, non ex Apostasiæ, sed dignitatis ratione quam in terris gessit: minimè tamen dubito quin Garnetus illum hominem fuisse profligatiorem & magis impium erga Deum & Dei cultores habuerit, quàm Henricum Quartum quem sine vel minima conscientiæ acerbitate vel periculi suspitione Papa immeritò abdicauit.

De hoc diuexato & exagitato Imperatore eiusque caussa ex quo iram acerbiorem intimo odio Papa in eum concepit, non est cur hoc tempore pluribus dicam, cùm temporis angustiæ plura dici non permittant, sed illum cum aduersario ad tremendum Tribunal examinandum relinquam, vbi omnes omnium actionum rationes in medium proferentur, sententiaque ex merito non ex partium studio pronuntiabitur; vbi nemo vel Crassi inuidia in crimen vocabitur, vel Antonij eloquentia defendetur. Non me præterit quid scriptores vtrinque (Imperiales & Pontificales, *Guelphi & Gibellini*) de Papa & Imperatore prodiderunt, prout ipsorum proni appetitus & partium studia calamos infecerunt; homines facilè labi & errare posse scio, dum in alterutram partem studio aut præiudicio nimis propendent.

Nec mei est ingenij vel iudicij loca quæ hominum intemperies inæqualia & salebrosa fecit, in planitiem redigere. An Papa fuerit exulceratus quod Henricus Episcoporum *Inuestituram per baculum & annulum*, & Ecclesiasticarum dignitatum collationem sibi vendicauerit, vt aliqui volunt, (quamuis multi Reges & Angliæ inprimis hanc Prærogatiuam in suis Regnis & vendicârunt & exercuerunt) vel quòd Sigisfredus Archiepiscopus Moguntinus eum impulerit vt subditos detineret, quò minùs tam confertìm Romam confluerent

fluerent vt alij volunt (quanquam nonnulli Principes hoc factitarunt, qui tamen fulmina vitarunt) siue quòd Henricus Papæ admonitiones vili fecerit & ad vim vi repellendam se accinxerit, bilem Papæ commoueret, vt alij etiam Imperatores subinde & anteà & post mitiori cum pœna pro suspecta pertinacia fecerunt. An hæc omnia vel ex his aliquod hunc ignem inflammauerint, quanquam affirmare non audeo, existimare tamen ausim medicinæ modum & acrimoniam excessisse morbum. Constat hanc indignationem in animo Gregorij primùm incruduisse, satis longo ante interuallo quod Henr. Gibertũ Episcopũ Parmensem & re & consilio adiuuerit, cùm consensu Cardinalium cis Alpes Papa eligeretur, contra Alexandrum quem Gregorius (qui tunc temporis Archidiaconus erat,) singulari quodam fauore prosequebatur.

Verumenimuero concedantur vera esse singula quæ seriò aut simulaté pro veritate hac in caussa diuulgata fuerint, velim vt Doctor aliquis me pro grauitate edoceat, an leuiculæ hæ caussæ æquâ aliquâ analogiâ excandescenti Papæ iracundiæ pares fuerint, qui portâ supplici Imperatori occlusa, (non dicam inurbanè, sed inhumanè, cùm nudis pedibus cœlo asperrimè rigenti, vt veram contritionem ad iram sedandam testaretur, accessit) Interea temporis alium in Germania in Imperatorem extulit, dum ille peregrè Romam difficilimo itinere profectus ad gratiam, cum Pontifice redintegrandam, qui etiam tunc ad partium duces in Germania scripsit (ne illi ex aliqua specie gratiæ inter ipsum & Imperatorem reconciliatæ animos demitterent) se Imperatorem remissurum *culpabiliorem* & ex *consequenti* eorum iniurijs magis expositum.

Imo quod omnium deterrimum pace inita, absoluta criminum gratia facta & iurata, & sacra Eucharistia ab Imperatore sumpta, ex ipsius Papæ manu ad nouum fœdus constabiliendum, Imperatoris filium contra patrem armatum statim submisit, specioso quodam zeli prætextu, scilicet vt *nomen Augusti ab hæresi vindicaret.* Ad hoc enim centrum

omnes fucatæ Papalium exceptionum lineæ protrahuntur, & in hac voragine euanescunt, quasi verò nemo nisi qui seruili animo, veram coleret religionem, quasi omnes qui vsurpatoribus aduersantur hæretica prauitate laborarent, quasi verò non fas sit Imperatori velum in Ecclesia expandere, quamdiu Papam à Maiestatis solio excludere cogitaret, vel quasi generalis hæresios suspitio sine vlla hæreticæ prauitatis conuictione, contra Canones Ecclesiæ publicum esset ergastulum in quod Papæ Christianos Principes detruderent, qui iniquis eorum postulatis iustè aduersando vt filij perditi & deplorati condemnantur.

Postremò libenter ediscerem vnde Papa hausit *culpam* & non *pœnam* Principi illi remittere qui libentiùs gratiam iniret, quàm odium exacerbaret, aut vnde hausit vt distingueret, inter restitutionem ad *Gratiam* & *Maiestatem*, suspendendo illam gratiæ suæ portionem quæ ipsum in iuris sui possessionem immitteret. Apud Sigebertum Gemblacensem lego, quod suo tempore hæresis nondum in mundum immersa tenebatur, ut sacerdotes præpotentis illius Dei virgam, qui sæpenumerò regna Hypocritis tribuit *propter peccata populi*, in ignem proijcerent, priusquàm delinquentes pro delictorum ratione plecterentur: vel peremptorijs mandatis eos demouerent, qui vt instrumenta ad diuina iudicia exequenda muneribus sibi impositis defungantur.

Quomodocunque autem Gregorius in diebus illis Canicularibus combustione radiorum qui ex diametro oppositi Imperatorem vrere poterat viribus factionis oportunitate quadam excitatæ fretus: ex succedentibus tamen indicijs obseruo iudicium Dei semper fuisse iustum, etsi Papæ fuerint iniquiores. Alter enim ex Domini sui proditoribus quem Papa quodam animi æstu euexerat, & ex fastu adiuuerat, in opiduli expugnatione de medio sublatus, alter in prælio nec sine poenitentia proditionis, vt quidam prodit, occisus. Ipse etiam Papa ærumnis & curis confectus non diu superfuit, & cum aculeum in hoc Principe reliquisset, haud ampliùs pungere poterat. Seditiosi & turbulenti illi Episcopi qui

authore

authore Papa se opposuerant & restiterant, nunquam capita exeruerunt post fatalem illam plagam inflictam in Synodo Moguntina & Vangionensi, sed aut à suis ouibus fuere perempti, aut aduersissimo fato in montibus extincti.

Walranus Episcopus Magdeburgensis, in literis ad quendam Germaniæ Comitem, iustam reddit caussam tot rerum aduersarum simul confluentium, quia (inquit ille) resistendo authoritati, Deo restiterunt, & ideò fœliciùs illis succedere non poterat. Platina prodit, quod intereà temporis, dum Papa adhuc consultaret quid cum hoc offenso Principe ageretur, nonnulli saniùs sapientes censuerunt, *Regem non ita citò Anathematizandum.* Ast obiectiones omnes superuacaniæ erant, dum Papę animus inflammatus ad vlciscendum totus flagraret, & ille caussam suffulciret authoritate illa S. Petro per Christum delegata, vt *Oues suas pasceret*, id est, gregem doceret & instrueret. Tantum enim discrimen inter instructionem & destructionem, quantum inter pastionem & suffocationem interpono, quanquam ex formula sententiæ contra Imperatorem prolatæ pateat, Gregorium imperare S. Petro & S. Paulo quasi apparatoribus & Accensis suis vt Pontificiæ & *priuatiuæ* authoritatis suę Rescripta executioni mandarent.

Quod ad authoritatem subditos à fide absoluendi quæ & primarius Aries in Canone *Nos Sanctorum* ad Regia solia & sceptra subruenda, ex litigiosis exceptionibus adhibetur, hoc præ cæteris adnotabo. Quòd Gregorius plus suæ dignitati ex delegatione arrogat, quàm Deus ipse suæ diuinitati ex Prærogatiua assumit. Si enim concedatur eiusmodi fidei sacramenta esse legitima, spontanea, & in nullum iuris præiudicium (cuiusmodi sunt quæ pro eò ac debemus Principibus præstamus) omnes eorum ministros qui fidem datam violare audent, periurij crimine inuoluunt. Quod Deus per seipsum iurans homini promittit (quanquam ad maturiorem & iustiorem peccati pœnam spectat) sibi ipse minimè remittit, & existimabimus quæ Peccator illi promiserit, sine ipso remitti posse? *Frater non redimet, redimet homo? non dabit*

bit Deo placationem suam & pretium redemptionis animæ suæ, vt cum Propheta hanc rem concludamus. Quamuis Deus homini ex merito ita succensuerit, vt visus sit penituisse gratiæ suæ, quòd ingratam stirpem solo sterili inseruerit, *& præcauent in futurum & tactus dolore cordis intrinsecùs.* Qui quidem internus dolor iram Creatoris contra Creaturam plurimùm inflammaret, attamen pro eo quod a mundo condito dixerit, beatum semen mulieris (*quam omnes generationes beatam prædicant*) caput Serpentis contriturum, quod *in plenitudine temporis* erat efficiendum: cum suo promisso dispensare noluit, sed permisit consilium liberrimæ gratiæ, æternę prouidentię rotis ad pręfixam suę misericordię periodum prouehi. Atrocia Dauidis Prophetæ & posterorum eius peccata diuinam iram iure & merito excitarunt, vt germina & radix omni gratia & misericordia exciderent; pro eo tamen quòd longè ante iurauit hæredem ex lumbis eius throno non defuturum, vt fidem promissam liberaret, offensam omninò remittere visum fuit.

Maxima spes quę Dei populo a Samuele Propheta affulsit cùm eius opem in rebus aduersis imploraret, hæc fuit, Quòd Deus iureiurando interposito populum illum quem sibi selegerat & in suum ascripserat, nec tutela sua excluderet, nec hostium furori relinqueret.

Diuinæ directionis stricta est regula, si quis votum Deo fecerit, & iuramento ad præstandum obstrinxerit, non ampliùs in sua erat potestate fidem datam violare, sed planè præstabit, quod deliberatè promisit. Qui saniùs sapiunt exploratum habent quid Lex de votis redimendis iusta de causa, præsente sacerdote præscribit, idque pro ratione facultatum vouentis. Præterea omnes norunt vota & iuramenta iniusta (cuiusmodi fuerunt Iepthis, Herodis, & aliorum id genus) conscientiam neutiquam constringere. Cùm autem deliberatè & spontè iuxta cautiones lege diuina præscriptas in *veritate* scilicet, *iudicio*, & *iustitia iuramus*, etiamsi ex officij ratione Principi impio, Ezechiel tamen Sipiritu sancto authore, nos docebit, quòd Deus trabali clauo periuri capiti infigi

figit iusiurandum illud quod perfidè conculcauit.

Ex argumento illo quod Gregorius Papa in authoritatem arripit, soluendi subditos à Sacramento quod Henrico Quarto iurauerant. Ananias propheta & ex summis illa vice sacerdotibus perinde cum sacramentis quæ populus Dei Nabuchodonosori Principi infideli & Idolatræ iurauerat, dispensare poterat. Sed Deus ipse Sacerdotes & Prophetas condemnat, qui onus populo impositum spe fallaci proposita ante tempus iniunctæ pœnitentiæ alleuare voluerunt. Et illis sane Ananiæ diebus Pseudoprophetæ ob assentationem excisi fuere. Quamobrem vt audacia & confidentia proiecta est in homine quocunque ita in recondita prouidentiæ mysteria penetrare, vt iudicet quo tempore, in qua persona, qua lege, aut qua authoritate peccator peccatorem à Sacramento absoluere possit. Itidem Diploma illud quo Theologi Scholastici ad hanc authoritatem asserendam obtendunt, exile proculdubio & ieiunum sit, quandocunque sine certa diuinæ voluntatis reuelatæ authoritate conscientiam eius liberare velint qui vel electionis iure vel solemni formula sit obligatus, Theologi illi Scholastici nunquam comprobare poterunt, ex aliquo vtriusq; testamenti fundamento, aut primorum Conciliorum Canone, aut Patris alicuius authoritate qui magis sudo & sereno cælo, quàm hoc nostro vixit (quomodocunq; Distinctiones subinde excudunt, potius ad fidem implicandam quàm explicandam) hanc doctrinam Principes leuiculis de causis *anathematizandi*, aut Sacramenta fidei soluendi, aut magistratus abdicandi, cum illis obedientiæ & patientiæ præceptis conuenire quæ Seruator noster Apostolis, & illi hæreditaria serie suis successoribus reliquerunt. Si ex Sancto Matthæo certum sit pacem nostram ad nos reuersuram esse, cùm illi quibus pacem precamur se pace indignos præbeant, proculdubio nō minus verū est diras nostras in caput nostrū (idque nostro merito) resulturas, cùm qui sunt in Ecclesiæ (quę Dei domus est) gremio, ita se gerant, vt diris eiusmodi immeritò deuoueantur. Vti etiam in caussa Baalam rectè quęritur, *quomodo maledicat ei cui non maledixit Dominus?* ita

tam

tam considerate à B. Gregorio adnotatur, quod *ligandi & soluendi potestate se priuat, qui eam iniuste exercet. Origines* pręclarè cùm causę asperiorum sententiarum sint iniustę, & ęquę rationis examen subire non possunt, qui eijcitur non exit, *sed qui manet intus, excluditur.*

Ex lege Mosaica penes sacerdotem non erat vt leprosum mundaret, sed cum iudicio exanimaret an mundus fuerit. B. Augustinus itaque maiori cum fiducia ita concludat, temerarium iudicium non officere personę *de qua temerè iudicatur sed ei qui temerè iudicat.* Ratio vero ex alia eiusdem Augustini sententia peti possit. *Quia dum volumus per iram aliena coercere, grauiora committimus.*

Concludo igitur idque *magistraliter* (vt Scholasticorum verbo vtar) ex Canonibus ipsis *manere Petri priuilegium, vbicunque fertur ex ipsius æquitate iudicium.* Quod S. Gregorius ex conscientiæ scrupulo protulit, *vel iniquam Iudicis sententiam timendam,* Responsum cum ratione ferat, si timorem illum ad eiusmodi modestiam, & animi moderationem strictè reuocemus, quę ad suam infirmitatem agnoscendam semper pronior minus offendit specillo longiori quàm breuiori peccato explorando, & ex demissi animi sensu suspicando omnes esse procliuiores vt suis se delectent erroribus, quàm doctum, prudentem, & religiosum Iudicem ad iniquam sententiam proferendam.

Prudens vt valetudinem curet cùm Catapotia a medico recepturus, qui corporis sui constitutionem ex scientia & experientia melius quàm ipse cognoscit, primùm facilè credit aliquem humorem vel quantitate vel qualitate vitiosum corrigendum esse, quanquam qui sit ille humor ipse minimè norit. Posteà verò cùm accuratius secum perpenderit appetitum suum esse ordinarium, crasim perfectam, digestionis facultatem vigentem & reliqua omnia quæ in re medica eruditi respiciunt, cum integra valetudine conuenire; apprehendere incipit (sensum suum cum medici coniectura conferendo) quòd homines alioqui graues & eruditi labantur rudimenta artis suę minus intelligendo, fallacibus Relationibus quę meritò

ritò *Erroris perspicilla* appellantur, plus nimio credendo. Deus enim solus corda & abstrusos animi recessus scrutatur, & itaque solus verè nouit, quâ inscitiâ aut scientiâ emplastrum adhibetur malo inueterascenti, vel quod ex imprudentia malum inueteratum illis videtur, qui vt Dei vicarij authoritatem dijudicandi sibi assumunt. Deus ipse enuntiauit quòd *Spiritus hominis ea tantummodo nouerit quæ sunt in homine*, spiritus autem Dei ea solummodò qui Dei sunt intelligit, itaq; de occultis vel malè intellectis spiritus ille qui in mortalium naribus spirat, nec certò discernere, nec rectè dijudicare poterit. Si quis objiciat quòd Papæ Principibus litem intendentes satis validis argumentis se communiant priusquam aliquid in rei præiudicium concludunt; respondeo præsumptiones animorum impetu longiùs abreptas in caussa fuisse quòd multi Papæ contra Principes in procedendi formulis aberrauerint. Et ne longiùs aberremus dum exemplum petitur, hic ipse Gregorius VII. Henr. caussa inaudi ta condemnauit, vt nonnulli qui tunc vixerunt scriptores prodiderunt. Illa æquitatis regula quæ approbat Appellationes à Iudicibus malè informatis ad Iudices qui sententiam argumentis omni exceptione maioribus suffulciunt, in minoris momenti caussis, in quauis Republica semper vsu recepta fuit. *Lex* enim *iusto non est posita*, & quomodocunque ad ordinem conseruandum externæ formulæ moderatè & reuerenter sunt adhibendæ, animo tamen Conscientia mille testes, verèque Lydius lapis; itaq; ego illum neutiquam reprehendã qui secretò & sine medici præiudicio catapotia proiecit, si ex certa corporis crasi nouerit vsui sibi minimè futura, vel ad valetudinem restaurandam, aut morbum suspectum depellendum.

Diutius his immoror vt illi Gregorij loco satisfaciam, quia in omnium Iudicum errantium patrocinium profertur, in eorum fraudem aut saltem terrorem, qui sæpenumerò sunt timidissimi, quia innocentissimi. Interim obseruate sanctissimum hunc Patrem nullum subditum ab obsequij sacramento relaxâsse. Ille nullum Principem in solio Regio sedentem Anathemate perculit, ille nullam Rempublicam ad Prima-

tum suum propagandum labefactauit, sed optimè intellexit quàm facilè ex vehementi animi cogitatione Iudices errent, & cum *Gad* cui capita hominum pro vmbris montium videbantur, *hoc errore decipiantur*.

Leodiensis Ecclesiæ Capitulum, cùm hanc iurisiurandi & fidei relaxationem penitùs reiecerit, multis rationum momentis induci poterat. Primùm quia legitimi iurisiurandi violatio (vt iam antea ostensum) in peccati rationem cadit, præterea quia multi antecessorum suorum in conscientiæ pace ad Deum demigrauerant, qui iusiurandum ad extremum vsq; spiritum obseruarunt, quorum exemplum aspernari minimè debuerant. Adhæc allegarunt, nec iniuria, quòd si Imperator ille tam impius esset, quàm sententia in ipsum lata innuit, eos tamen non magis quàm Zedechiam decere (donec correctionis ignis peccati rubiginem absumpserat) collum præfidenter à Nebuchadnezaris iugo subducere. Hoc autem complicabo exemplo prudentiæ Regum Angliæ superioribus sæculis, ex vetustissimorum monumentorum sacrarijs petito. De obsequio & fide Præsulum suorum satisfieri non poterant, donec formulæ iuramenti fidei datæ hæc verba inseruissent, *In verbo veritatis* (quæ conscientiam ligant) in loco verborum superioris æui, *Saluo ordine*, quæ Ecclesiasticos suo quodammodo arbitrio reliquerunt. Liberum enim est (vt habet Ioannes de *Parisijs* vetus author Catholicus) cuilibet legitimo Principi vim gladij spiritualis repellere quacunq; ratione optimè poterit, cùm deprehenderit eductum esse ad ciuilem authoritatem disturbandam, cuius cura incumbit Regi, aliàs enim gladium frustra gestaret.

Nunc autem vt optimus fructus quem hæc occasio offert, ex pessima caussa quæ inter homines hactenus vel fando audita colligatur, & in conspectum quasi theatro omnibus proponatur, quorum vel capitibus insunt prudentiæ oculi, aut quorum cordibus diuini iudicij timor, quàm inconsiderata temeritate nostri qui in se susceperunt clauum cymbæ S. Petri tenere in nostro freto, (inter quos Garnetus noster è præcipuis fuit nauarchis) in rebellionis scopulum impegerunt,

runt, ne intuentes quidem vel in conscientiæ vel fidei directorium. Velim vt quædam obseruationes memoria consignentur, vt monumenta diuinæ potentiæ olim inter Israelitas *tanquam signa prædicantia* sint male-sanis & vertiginosis temporibus futuris, qui alioqui ex eiusmodi sceleris inductionibus in eiusmodi immanitatis formas transmutentur. Angelus enim dixit Tobiæ: Mirabilia Dei opera enarrare esse laudabile.

Minimè me præterit miranda sæpenumero fortuito accidere (quoad nos pro captus nostri imbecillitate pertingere possumus) quanquam ipsa veritas nos doceat ne passerem quidem sine diuina prouidentia in terram cadere. Et Pericles rectè Fortunam nihil aliud esse facit, quàm *veræ caussæ ignorationem*. Attamen vbi aper syluestris runcando in terra fortuitò non vnicam literam A efformat, sed totidem literas sua serie quot legentium oculis integram dictionem *Agamemnon* exhibent, vbi aliquis non tres quaterniones tribus aleis, sed tria millia quaternionum totidem alearum millibus iacit; & vbi ordo qui à ratione & electione progreditur in cohærentibus formis obseruatur, Casus, ex philosophiæ rudimentis, vim omninò habet nullam. Quamobrem nemo dixerit an aliqui ex his Coniuratis superstitibus (nullos superesse haud ausim dicere) cùm quasi è littore respexerint quos scopulos & quas Syrtes in hoc turbine præteruecti essent, cùm ad rationes reuocauerint aduersum successum non vnius aut alterius, sed plurimorum consiliorum & machinationum in hac actione inauspicatissima, non immemores obseruationis inter Galeni sectatores quando simplicia medicamenta contra suam naturam vires exercent, medendi rationem esse deploratam: cùm inuenerint Hierosolymam nostram edificatam vt ciuitatem cuius *participatio in idipsum*; cum obseruauerint Regem nostrum Serenissimum, iustissimum, & optimè meritum à Dei Angelis sustentatum (*qui sunt spiritus administratorÿ in ministerium missi propter eos qui capiunt hæreditatē salutis*) habitare in *adiutorio Altissimi*, & irritum esse aliquid contra Monarchiam, *cuius cor est vnum, & anima vna*, moliri; in eam

am sententiam (qua persistere iure diuino & patriæ suæ legibus tenentur) redibunt, pastoris sui voci auscultabunt, & demissè cum Iacob agnoscent *quod Dominus erat in loco isto, & ipsi nesciebant.*

Primùm itaque obseruo quòd cùm tu Garnete & machinantes tui discipuli, coniurationem de regno inuadendo contra Reginam Elizabetham modo defunctam in postremo vitæ suæ actu iniijssetis, spe certâ conceptâ Principum propaginem irruente perditissimorum ardelionum torrente obruendi. (Quod spero in hoc regno nunquam fieri potest cum nostra Monarchiæ ratione.) Deus Heroinam illam exacta iam ætate venerandè canescentem quasi flosculis amygdalinis, ex hac vita euocauit vt *Iosiam*, *ne videret mala quæ euentura erant*, & proculdubio euenissent (cùm homines certa veri Successoris notitia essent exclusi) si *bonus Genius* charissimi Domini nostri, intermedijs rationibus & instrumentis adhibitis, hoc regnum in plena perpetuæ securitatis fruitione, superna aspirante gratia, non constabilisset.

Bullæ quæ te authore, cum tuo Catelina qui tibi alter idem & boatu suo instar taurorum homines male sanos in aciem contra Regem euocaturæ erant, primo Regni diluculo, ad oliuæ germina decerpenda quibus Regium solium circundatur, magis profuerunt, quòd tertium *Bullum*, scilicet *Bullum* illum carnificem ad profligatissimam illam conspirationem funditus è medio tollendam euocauerint.

Henrico Sexto regnante Humfredus Dux Glocestriæ *Bullas* quasdam Roma emissas quæ Regiæ dignitati fraudi erant, re nulli communicata, in ignem proiecit. Elizabetha fœlicissimæ memoriæ Regina *Bullam* illam quam Feltonus Episcopi Londinensis valuis affixerat, quia ad Coronæ suæ dignitatem imminuendam & transferendam spectauit, non mitiùs excepit, sed eodem fato statim sustulit. Et Garnetus *Bullas* suas non minùs igne dignas iudicauit quòd inualidæ erant ad ea perficienda quæ qui procurarunt, optauerant & expectauerant. Hæ *Bullæ* Garnete quasi Tauri erant *cornupetæ*, quos authoritas includi iussit, ne damnum inferrent, tu

autem

autem Legum authoritate proculcata expatiari alicubi permisisti, vbi expressa sui vestigia reliquerunt. Si quis inficiatur, Catesbeius qui tibi auditor idoneus, & amicus intimus, te in conscientiæ tuæ foro accusabit, qui ex illis *Bullis* perniciosum hoc argumentum contexuit. Quod si licuerit legitimum hæredem religionis nomine in regnum non admittere, licuit etiam admissum submouere, & eijcere. Spiritus Sancti prudentia sanxit, quòd *Bos lapidibus obruetur si occidetur Dominus*, quanquam nos omnia Legum authoritati & Regiæ Maiestatis arbitrio relinquimus. Sed quicquid accidat, agnoscendum minimam subesse rationem vt quis efflagitet *Bullas* huc transmitti, cùm neque accessus eorum sit gratus, neq; successus faustus aut fortunatus. Hoc maximè demiror dum hos admirandos euentus mecum animo retracto quòd *Bullæ* illæ quæ in prædio *Whitewebs* in cineres fuerint redactæ, hodie sunt productę vt in Prętorio Londinensi quasi tauri exagitentur.

In primo Regis aditu in hoc fœlicissimum regnum tanta cum securitate & facilitate ac si *Londino, Greenewichum*, aut a *Greenwicho* ad Regiam *Hamptoniam* iter recepto more institueret, expeditissima ratio interturbandi publicum applausum (qui *nostrum Salomonem pacificum* festa lętitia & inaudita beneuolentia vbique excepit) coniuratis visa est, vt inuadendi consilium in exteris regionibus sopitum nuntio emisso excitaretur. Verùm licèt hanc petitionem *Veneris commendasset epistola Marti*, surdas inuenisset aures, cùm diuinum Numen principum animos ad eiusmodi pacē vtrinq; pręparasset, quę nec clandestinas simulationi machinationes, nec apertas executiones admitteret. Hoc non erat ex diuina methodo *eligere infirma vt confundat fortia*. Imò potius ex spiritu suggestionis Achitophelis *abuti fortibus vt confunderentur omnia*. Deo autem Opt. Maximo cedat gloria, Leo viuit, ex cuius ore liquentes faui vobis extrahendi erant, priusquam Ænigma vestrum aut gratiam, aut successum sortiretur, quem inter nostros coniuratos Philistinos tantopere expetitis. Adeo vt spem vestram vniuersam in turbis & tumultu repositam (vt inquit

inquit Propheta) habeatis in loco silentij & spei illius quæ vobis fuisset quasi ANCHORA SACRA.

Vobis consilium erat in Principum animos irrependo maliciæ vestræ stimulis beneuolentiam excitare, quia sæpenumerò fit vt exhalationes in supremam aeris regionem attractæ radijs solaribus ibidem accendantur & igneo effectu reuerberentur. Verumenimuerò *Multi committunt eadem diuerso crimina fato* & Philosophus Magnus in eandem sententiam obseruat, quòd *Prosperum scelus virtus vocatur*, Cui alter concinit,

Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.

In hac tamen caussa Deo fauente contra cecidit, Principes enim tam bellorum quàm vos pacis pertæsi, tam studiosi sanguini parcendi quàm vos effundendi, & magis suæ prudentiæ fundamentis innixi, quàm vestræ perturbationis turbine abrepti, Mercurium vestrum secundum re infecta demiserunt, tantúmque aberat vt pecuniam aut supplementum procuraret, vt lubentes ex illo nuntio intelligerent, nonnullos Catholicæ religionis professores, alias rationes in quibus ingenia & meditationes exercerent, quàm in *Rosario* repetendo, habere. Quod priùs sine tam perspicuo argumento, aut non omninò, aut ægrè sane credidissent.

Coniurati probabiliorem rationem inire non poterant, vt male sanos & incendiarios in scelus quod conceperant, pellicerent, quàm in aures Catholicorum imperitorum & male consultorum insusurrando Maiestatem Regiam promissum tolerandi in caussa conscientiæ, nonnullis ipsorum prius factum violâsse. Aures enim prurientes quæ rumusculos aucupantur, & animi qui publicos timores in priuatum damnum & preiudicium trahunt, (conuertendo plerunque in venenum quæ beneuolè in nutrimentum apparantur) quod primò diuulgatur auide arripiunt. Ad hoc autem periculum præuertendum Deus (qui omnia in bonum disponendo tempora & euentus operatur) effecit, vt priusquam hoc venenum in intimas hominum cogitationes penetraret, *Watsonus* sacerdos mihi (quem Regia Maiestas ad ipsum in carcere

Wintoniensi

Wintoniensi miserat vt scelerati huius rumusculi authorem indagarem) ingenuè confessus est vno & altero die ante mortem, quo tempore, vt Ius ciuile præsumit, nemo mentitur, se nunquam potuisse vel tantillum solatij in toleranda Catholicorum conscientia à Regia Maiestate accipere, quomodocunque iniustè perhibuerunt illum eius rumoris fuisse authorem, simulque addidit quàm inuitus fuerat Regis responsum ipsis Regis verbis & obstructionibus, Catholicis impertire, ne illi animo fracti in desperationem acti, aliunde subsidia quærere adigerentur ; quod aliqui fecerunt, vt ex hac machinatione iam constat clarissimè.

Præterea nonnulli sunt Pontificij hodie in Anglia qui si opus esset, & possent & vellent asseuerare *Percium* post reditum ex Scotia ante & post Elizabethæ Reginæ obitum idem retulisse & admonuisse, ne quis spem quantulamcunq; tolerationis inde conciperet, sed sibi quàm posset optime quisque consuleret : quandoquidem contra quamcunque Conscientiæ tolerationem Regis animum immotum & obfirmatum deprehenderat. His ingenuis confessionibus multi exclusi erant, quo minùs hoc promissum diuulgatum vel in exceptionis obtentum vel coniurationis laruam vrgere poterant.

Machinationis huius fundamentum positum erat in Auriculari Confessione, vt sub sera & sigillo tutissimo, sub qua arcanum tanti momenti recondere homines auderent. Quis enim speraret expiscari posse à Confitente aut a Confessore aliqua æternæ salutis habita ratione, (præter Ecclesiasticam Censuram) id quod in vitæ periculum hominem deuocet? Sed vti Iordane conuerso retrorsum pessimi fuerunt submersi, ex verbis inter *Greenwellum* & *Batei Catesbeij* famulum, vltrò citroque in Confessione habitis, ex horrore conscientiæ suæ contra scelus tam execrandum, percommodè accidit, vt illud diluceret quod aditum aperuit, ad ea peruidenda quæ Regij Consiliarij tantopere indagârunt. Existimare quis poterit Deum ipsum exosum esse sacerdotis perfidiam (qui sub clauium prætextu abusus sua ipsius persona & potestate

non

inquit Propheta) habeat
vobis fuisset quasi An

Vobis consilium erat
litiæ vestræ stimulis be
merò fit vt exhalatione
ctæ radijs solaribus ibi
uerberentur. Verume
uerso crimina fato & Ph
tiam obseruat, quòd *P*
ter concinit,

Ille crucem sceleri

In hac tamen caussa
enim tam bellorum q
sanguini parcendi quà
dentiæ fundamentis in
bine abrepti, Mercur
miserunt,tantúmque a
procuraret, vt lubentes ex illo nuntio intelligerent, nonnullos Catholicæ religionis professores,alias rationes in quibus ingenia & meditationes exercerent, quàm in *Rosario* repetendo, habere. Quod priùs sine tam perspicuo argumento, aut non omninò, aut ægrè sane credidissent.

Coniurati probabiliorem rationem inire non poterant, vt male sanos & incendiarios in scelus quod conceperant, pellicerent, quàm in aures Catholicorum imperitorum & male consultorum insusurrando Maiestatem Regiam promissum tolerandi in caussa conscientiæ, nonnullis ipsorum priùs factum violâsse. Aures enim prurientes quæ rumusculos aucupantur, & animi qui publicos timores in priuatum damnum & preiudicium trahunt, (conuertendo plerunque in venenum quæ beneuolè in nutrimentum apparantur) quod primò diuulgatur auide arripiunt. Ad hoc autem periculum præuertendum Deus (qui omnia in bonum disponendo tempora & euentus operatur) effecit, vt priusquam hoc venenum in intimas hominum cogitationes penetraret, *Watsonus* sacerdos mihi (quem Regia Maiestas ad ipsum in carcere

Wintonienſi

[illegible] pusculi authorem in-
[illegible] s altero die ante mor-
[illegible] nemo mentitur,
[illegible] Regij in toleranda Ca-
[illegible] accipere, quomo-
[illegible] rumoris fuisse au-
[illegible] Regis respon-
[illegible] tibus, Catholicis im-
[illegible] rationem acti, aliunde
[illegible] aliqui fecerunt, vt ex
[illegible]
[illegible] odie in Anglia qui si
[illegible] erare *Percium* post re-
[illegible] Reginæ obitum i-
[illegible] pem quantulamcunq;
[illegible] quam posse optime
[illegible] contra quamcunque
Conscientiæ tolerationem Regis animum immotum & obfirmatum deprehenderat. His ingenuis confessionibus multi exclusi erant, quo minùs hoc promissum diuulgatum vel in exceptionis obtentum vel coniurationis laruam vrgere poterant.

Machinationis huius fundamentum positum erat in Auriculari Confessione, vt sub sera & sigillo tutissimo, sub qua arcanum tanti momenti recondere homines auderent. Quis enim speraret expiscari posse à Confitente aut a Confessore aliqua æternæ salutis habita ratione, (præter Ecclesiasticam Censuram) id quod in vitæ periculum hominem deuocet? Sed vti Iordane conuerso retrorsum pessimi fuerunt submersi, ex verbis inter *Greenwellum* & *Batei*, *Catesbeij* famulum, vltrò citroque in Confessione habitis, ex horrore conscientiæ suæ contra scelus tam execrandum, percommodè accidit, vt illud diluceret quod aditum aperuit, ad ea peruidenda quæ Regij Consiliarij tantopere indagârunt. Existimare quis poterit Deum ipsum exosum esse sacerdotis perfidiam (qui sub clauium prætextu abusus sua ipsius persona & potestate

non

inquit Propheta) habeatis in loco silentij & spei illius quæ vobis fuisset quasi ANCHORA SACRA.

Vobis consilium erat in Principum animos irrependo malitiæ vestræ stimulis beneuolentiam excitare, quia sæpenumerò fit vt exhalationes in supremam aeris regionem attractæ radijs solaribus ibidem accendantur & igneo effectu reuerberentur. Verumenimuerò *Multi committunt eadem diuerso crimina fato* & Philosophus Magnus in eandem sententiam obseruat, quòd *Prosperum scelus virtus vocatur*, Cui alter concinit,

Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.

In hac tamen caussa Deo fauente contra cecidit, Principes enim tam bellorum quàm vos pacis pertæsi, tam studiosi sanguini parcendi quàm vos effundendi, & magis suæ prudentiæ fundamentis innixi, quàm vestræ perturbationis turbine abrepti, Mercurium vestrum secundum re infecta demiserunt, tantúmque aberat vt pecuniam aut supplementum procuraret, vt lubentes ex illo nuntio intelligerent, nonnúllos Catholicæ religionis professores, alias rationes in quibus ingenia & meditationes exercerent, quàm in *Rosario* repetendo, habere. Quod priùs sine tam perspicuo argumento, aut non omninò, aut ægrè sane credidissent.

Coniurati probabiliorem rationem inire non poterant, vt male sanos & incendiarios in scelus quod conceperant, pellicerent, quàm in aures Catholicorum imperitorum & male consultorum insusurrando Maiestatem Regiam promissum tolerandi in caussa conscientiæ, nonnullis ipsorum priùs factum violâsse. Aures enim prurientes quæ rumusculos aucupantur, & animi qui publicos timores in priuatum damnum & preiudicium trahunt, (conuertendo plerunque in venenum quæ beneuolè in nutrimentum apparantur) quod primò diuulgatur auide arripiunt. Ad hoc autem periculum præuertendum Deus (qui omnia in bonum disponendo tempora & euentus operatur) effecit, vt priusquam hoc venenum in intimas hominum cogitationes penetraret, *Watsonus* sacerdos mihi (quem Regia Maiestas ad ipsum in carcere

Wintoniensi

Wintoniensi miserat vt sceleratі huius rumusculi authorem indagarem) ingenuè confessus est vno & altero die ante mortem, quo tempore, vt Ius ciuile præsumit, nemo mentitur, se nunquam potuisse vel tantillum solatij in toleranda Catholicorum conscientia à Regia Maiestate accipere, quomodocunque iniustè perhibuerunt illum eius rumoris fuisse authorem, simulque addidit quàm inuitus fuerat Regis responsum ipsis Regis verbis & obstructionibus, Catholicis impertire, ne illi animo fracti in desperationem acti, aliunde subsidia quærere adigerentur; quod aliqui fecerunt, vt ex hac machinatione iam constat clarissimè.

Præterea nonnulli sunt Pontificij hodie in Anglia qui si opus esset, & possent & vellent asseuerare *Percium* post reditum ex Scotia ante & post Elizabethæ Reginæ obitum idem retulisse & admonuisse, ne quis spem quantulamcunq; tolerationis inde conciperet, sed sibi quàm posset optimè quisque consuleret: quandoquidem contra quamcunque Conscientiæ tolerationem Regis animum immotum & obfirmatum deprehenderat. His ingenuis confessionibus multi exclusi erant, quo minùs hoc promissum diuulgatum vel in exceptionis obtentum vel coniurationis laruam vrgere poterant.

Machinationis huius fundamentum positum erat in Auriculari Confessione, vt sub sera & sigillo tutissimo, sub qua arcanum tanti momenti recondere homines auderent. Quis enim speraret expiscari posse à Confitente aut a Confessore aliqua æternæ salutis habita ratione, (præter Ecclesiasticam Censuram) id quod in vitæ periculum hominem deuocet? Sed vti Iordane conuerso retrorsum pessimi fuerunt submersi, ex verbis inter *Greenwellum* & *Batei Catesbeij* famulum, vltrò citroque in Confessione habitis, ex horrore conscientiæ suæ contra scelus tam execrandum, percommodè accidit, vt illud diluceret quod aditum aperuit, ad ea peruidenda quæ Regij Consiliarij tantopere indagârunt. Existimare quis poterit Deum ipsum exosum esse sacerdotis perfidiam (qui sub clauium prætextu abusus sua ipsius persona & potestate

non

non puduit coniurationem tanto perniciosiorem, quanto maiori pietatis obtentu obuelatam machinari) tum caussæ, tum ministro signum indignationis suæ iussisse. Ægroti etenim sæpenumerò decipiuntur iudicando ex gustu qualitatem medicamentorum simplicium & compositorum, *decepto sensu cum iudicio & corruptis organis.*

Satis superq; liquet, vt hoc propositum secretò tanquam mysterium teneretur (donec progressu maturitatem optatam consequeretur) sigillum Sacramenti Communionis huic cruento pacto affixum esse, quasi tam impiæ conscientiæ obligationes apud Deum in deposito relinquendæ contra suæ ipsius legis regulam, *quæ versatur tantummodò in bonæ fidei iudicijs.* Nos autem minimè præterit quàm deploratos effectus Sacramentum indignè manducatum, & Seruatoris nostri vexillum contra ipsum præfidenter in procinctu explicatum, in animis labe peccati spontanei & præmeditati pollutis produxerint; infaustum huius confœderationis successum nequaquam demirabimur: cùm reminiscamur primum effectum Iudæ post offam acceptam fuisse Domini sui proditionem, & proximum, suum ipsius suspendium, *vt crepa, medius,* & viscera eius effunderentur.

Consilium horum consceleratorum in fide conceptis iurisiurandi verbis inuicem obstringenda (quanquam *demens est qui fidem præstat errori*) enatum fuit ex mutui inter ipsos amoris, & firmæ constantiæ diffidentia, reputantes seipsos tam securos hoc pacto consignato quàm Seleucus se certum existimauerit in phantasia ciuitatis quam in aere super captum humanum construere meditabatur: experientia tamen docet, manus *Madian* contra seipsos pugnasse, voces apud *Babel* suos ipsorum conatus omninò confusè conturbâsse, & hi perditissimi, vt Cadmi milites (quod ex ipsorum confessionibus liquet) *mutuis conciderunt vulneribus.* Ratio suffodiendi & cuniculos agendi in firmissimos Parlamentarij Consistorij muros, maioris sanè & longioris erat laboris, securior tamen & secretior quàm illa altera per cryptam, si modo suffossores strenuè operi primùm suscepto incubuissent.

Ad

Ad quod malum fere ineluctabile præuertendum Crypta cùm iam eorum opus maximè ferueret, ipsis quasi diuinitùs fuit non solùm aperta, sed ferè non sine miraculo ipsis à fideli Regis famulo in manus tradita, cuius prouida cura nullo modo ita falli poterat sine quadam cœlesti & superna gratia, quæ pedes ipsorum captauit, eodemque laqueo irretiuit, quem alijs innocentissimis tetenderunt. Tam blandè sibi-ipsis & Consilijs suis applauserunt facilitate efficiendi ex hac crypta inexpectatò ipsis aperta, quasi Deus voluerit, vt illis perinde ac Iacob venanti *occurreret quod volebant*. Contrà vero nos cum gaudio & solatio obseruemus, quod licèt illi seriò cum Esau luctuosum illum diem expectarent quo Isaaci interitus viam ad atrocissimam & sanguinolentam vindictam sterneret, vt sorices tamen suo indicio perierunt.

Eorum bilis ita excanduit, vt in saxa, etiam in parietes & domum Parlamentariam sæuirent, tanquam caussam instrumentalem quæ asperiores leges quadraginta totis annis contra illam religionem protulerit, quam ipsi simulatè amplexati sunt certo consilio conuertendi *Hierusalem in aceruum lapidum*. Ita Polymnestor captus oculis ex furore contra Hecubam concepto, omnibus mulieribus obuijs perniciem intentabat; ita Fuluia defuncti Ciceronis linguam acu transfigendo Philippicas illas contra Antoninum vlciscebatur, & ipse Antoninus in ipsos Senatoriæ domus parietes belligerabat; veruntamen ædificium stat, vt iam anteà, sartum tectum, sedilia suo ordine, & qui sederunt eo quo prius animo; coacti tamen forte hoc plusquam Neroniano conatu & animas & corpora vno ictu perdendi (cùm diuinæ misericordiæ implorandæ tempus defuisset) altiorem plagam in caussam illam infligere, quam propugnandam sceleratis machinationibus isti susceperant. Romanorum aruspices haud temerè vaticinati sunt bellum seruile imminere, cùm tauri, canes & asini (quæ sunt animalia in vsum & obedientiam creata) in furorem sine certa aliqua caussa ex improuiso agerentur, & eiusdem farinæ fuit hęc nupera rebellium colluuies, qui ea-

dem immanitate quæ in Sagunti ſubuerſione rectè obſeruata fuit *nihil reliqui fecerunt vt non ipſis elementis fieret iniuria.* Non diffiteor quin ediſcerent rationem parietes ex luto conficiendi ab hirundinibus quæ ſint niſi æſtiuæ auiculæ, & rationem telas texendi ab areneis quæ Mineruæ exoſę quòd opera fuerunt maioris laboris quam diuturnitatis, & plerunque ſcopis ablata priuſquam abſoluta. Veruntamen ſubdolam hanc rationem ſubruendi & demoliendi non aliunde melius haurire poterant, quàm à Montaniſtis *qui non tam laborant* (teſte Tertulliano) *vt ædificarent ſua, quàm vt deſtruerent aliena. Heu genus inuiſum Superis* !

Tractus ille pulueris fulminalis à nefarijs proditoribus hoc conſilio in ſubditos fideles diſpoſitus erat vt poſtquam innocentia quæque extrema pertuliſſet malitia alacris inſultaret, *vt cum ſcelera proſunt, peccat qui rectè facit:* vtque cum perditiſſimis noſtri ſeculi Atheiſtis diuinæ iræ contra fideles ſubditos præiudicium ex horrendo ipſorum immanitatis effectu concluderent. Hoc enim argumentum ad excuſandam Henrici nuper Regis Galliarum cædem arreptum fuit. Sed vt nobis iuſta eſt cauſſa exultandi eouſque cum *Sidrach, Miſach, & Abednego, Nihil poteſtatis in noſtra corpora habuiſſe ignem,* Angelis Dei deſcendentibus cùm ad flammam diſpergendam, tum in eius loco *ad ventum roris flantem* infundendum, ardoremque extinguendum, *vt neque eos contriſtaret ignis nec quicquid moleſtiæ inferret.* Itidem ex altera parte Deus ita potentiam ſuam exeruit (vt nonnulli perduellium iſtorum æternas flammas perſentiſcerent, quæ in altera vita ſine contritione & confeſſione in hac vita, nunquam extinguentur) vt in medio diſcrimine & molitionum malè ſuccedentium anguſtijs, ipſi ſui pulueris fulminalis violentia fuerint afflati.

Ita Alexander Sextus & eius delitiæ Cæſar Borgia vnicum eius ſeculi monſtrum, veneno perierunt pocillatoris errore ex vaſculis (ipſo Cæſare iubente) ſepoſitis in cœnam ad quoſdam Cardinales tollendos. Ita ſubinde accidit (diuina iuſtitia ſupra humanum captum ſe exerente) vt illa inſtrumenta

menta quæ fuerunt reposita ad malitiam exequendam, ad innocentiam protegendam subseruiant, *& sæpe fugiendo mala in maiora incurramus.*

Hi Catelinæ in æstuanti perturbationum suarum intemperie (quæ sua incōmoda, & commoda aliena pari dolore intuetur) adeò auidi erant ad sanguinem mittendum (etiam *ad animæ deliquium*) nobilissimorum, fidelissimorum, & optimorum subditorum huius Regni cuiuscunque ordinis, in quorum venulis sanguinis corrupti, aut infecti ne guttula quidem inerat. Et ne quid sceleri conficiendo deesset, vt nulli omninò parceretur; illis inquam perinde ac Triumuiris Romanis visum erat tutissimum sanguinem etiam suum vnà mittere, nullo cognatorum, agnatorum, aut necessariorum discrimine, ne vno melioris notæ ex catalogo coniuratorum omisso. Sed successum animaduertite, vt Leo enim ad Mauritium scribit, *in victoria veritatis, soli veritatis inimici pereunt.* Quicunque enim in aquas contradictionis vt vrinatores immergere gaudent, quibus proprium est, vt eruditus inter Patres notat, potius *vorare* quàm *portare*, frustra expectent, vt Christi dextra quæ Petrum in sua fide sustentauit, ipsos in fraude subleuaret. Inter verum enim & falsum tam differentiæ quàm gradus sunt infinitæ.

Ad sanguinolentam hanc machinationem promouendam consultissimum & vsui inprimis habebatur, vt nonnullis ipsorum qui crudelitate & effera immanitate ante alios lectissimi, facultas concederetur alios adiutores & confœderatos admittendi, qui *non propter eximias virtutes*, sed qui *pares negotijs erant nec superebant*, quique cùm ipsorum res esset extenuata, ad onera leuanda & desideria explenda sumptus ferre & expensas facere optimè poterant. Sed ad caussam nihil commodi accessit ex quopiam per hanc transennam admisso, quocunq; erat ille animo affectus. *Fr.* enim *Treshamus* qui ita admissus multa voluit, sed supplendo parùm præstitit. Hoc autem tantum adnoto, quòd cum primùm coram Consiliarijs Regijs conueniretur, ex verbis & passionibus tam expressa vestigia antrorsum & retrorsum reliquit,

quit, vt quamuis leporem subterfugientem clarè prospicere non poteramus, facilè tamen conspeximus quà cursum deflexit, & inde sagaciter odorati pleno clamore illum iam traijcere accelerantem persequuti sumus.

Nemo diffiteri potest quin *Robertus Catesbeius* perniciem Principi & Regiæ soboli anhelans, ex fraude totus fuerit compositus, cùm intimorum amicorum *Roockwoedi, Granti* &c. fidem & fortunas creditoribus suis, importunis flagitatoribus, arctissimis Obligationibus astrinxerit, priusquàm mysterium machinationis suæ impertierit: ad veritatem persuasus pro periculi magnitudine ipsis ex eius ruina impendentis lubentiores omnibus periculis se exposituros, & potius cum illo vnà morituros, (si ad extrema adigantur) quàm illo sublato, ostiatim victum quærere. Cùm intereà tam blandientis spei signum illis ob oculos erat propositum, scilicet quòd *summa scelera incipiuntur cum periculo, peraguntur cum præmio.* Verùm vt necessitudo inter prauos (ex doctrina Ethica) potius confœderatio, quàm amicitia habetur, quia nil nisi *metum & noxam conscientiæ pro fœdere habent.* Itidem in hac caussa idem erat successus, alter enim alterum quasi concatenatione in doli mali præmium pertraxerunt. Præfidentia erat decipula, spes fallax esca, & fructus omnis quem astutijs & versutijs expectare poterant, eiusdem qualitatis cum vuis, & malis granatis, quæ Sodomæ enata, ciuitate euersa, vt apud Originem legitur, hoc est, odore sulphurea, quanquam visu pulcherrima. Et quemadmodum illa primo contactu in cinerem, ita hæc primo examine in puluerem fulminalem erant euanida.

Primarius aliquis in hac Tragœdia Actor cuius mens ad misericordiam præ cæteris magis reuocata videbatur, statuit admonere virum quendam nobilissimum (cui pro spectata erga Regem fide confidere non audebat, literula subobscura quæ potius ænigmatis Oedipæi quàm consilij amici instar) vt à loco constituto tempore præfixo abesset. Obscura illa scribendi formula, & occulta literulam illam tradendi ratio, cùm nullæ vspiam nubes se glomerare visæ, plures induxissent

sent potius neglexisse, quàm in tam cæcis tenebris, vel tantillum detectionis lumen apprehendisse. Vir autem ille verè nobilissimus & modestè prudens, gnarus homines in maximis Regni negotijs diu multumque versatos, rectiùs & hominum ingenia internoscere, & difficiles nodos explicare posse, literulam illam quibusdam à sanctioribus Consilijs communicauit, & illi Regi, qui eo veræ diuinationis spiritu qui à Deo (vt est in Prouerbijs sacris) Regis labijs infunditur, nunquam destitit in scopum huius admonitionis penetrare, singulis circumstantijs accuratè perpensis, donec cadi illi puluere fulminali completi, in lucem erant producti, & Cacodæmones illi ex sua cauerna expulsi, materialia illa sua opportunitate, & suffossores illi omni facultate fulminalia illa opera efficiendi omninò fuissent exclusi.

Hi elatè nefarij, qui scelere pasti, etiam oculos suos conspectu cadauerum nostrorum pascere in animo habuerunt. Cùm enim non erant illi columbæ, sed corui, minimè mirum sit quòd *cadauera sint sequuti.* Nunc autem Diuini Numinis prouidentiâ factum est, vt illorum membra aues carni-voras pascant, nisi fortè Deo maledicente, peccati putor, & criminis horror omnibus Dei creaturis fastidium pariat, vt etiam vel intueri abhorreant.

Ille idem subdolus serpens, qui fallaci esca scientię *Boni & Mali* Euam ad peccandum seduxit, horum nonnullos proculdubio induxit alacriùs discrimen subire spe arrepta vt Angeli in hac vita haberentur (si ex voto res succederet) vel Martyres in alia, si contrà caderet. Ex perspicuis autem Confessionibus constat, quòd eadem ipsa nocte qua puluis fulminalis execrandum effectum producturus erat, aut rationis lumine, aut vexationis horrore, aut reuelationis potentia *Rob. Wintero* in somno obuersabantur spectra, vz. vultus coniuratorum & immanissimorum illorum proditorum qui in hac Tragœdia sanguinaria acturi erant, tam lurida, tartarea, funesta, & horrenda specie, vt potius Malum Genium qui Bruto ante Pharsalicam pugnam comparuit, aut Hectoris faciem quæ Andromachæ visa fuerit, aut ipsorum capita

in fastigio Domus Parlamentariæ palis affixa præ se tulerint, quam illam Beatitudinis speciem, quam male-sanis cogitationibus plus nimio sibi adblandientes efformauerant. Etenim non solum verum est quòd Deus vt est apud *Iobum terret per somnia, & per visiones horrorem concutit*, sed etiam illud è Sapientiæ libro nunquam fallat, quòd cùm *timida sit nequitia dat testimonium condemnationis*, & *Semper præsumit sæua perturbata conscientia*.

Dum solertissimi in hac Coniuratione, detectione per dignissimũ illum Baronem facta, consilia sociare cœperunt, & in incerto fluctuantes quò se converterent, cum Rege Babylonis vt est apud Prophetam; *Steterunt in biuio quærentes diuinationem*. Alij hæsitarunt, alij securitatem promiserunt, alij sperarunt, alij desperarunt, singuli autem in hanc sententiam abierunt, quòd si *Percius* eorum emissarius (qui vt coruus emissus ad explorandum quacunq; poterat ratione an aliquid de ipsorum machinatione innotuisset) malus nuntius rediret, nauem illicò apparandam esse qua ex insula traijcerent.

Deus enim tam spissam erroris & hæsitationis nebulam eorum oculis obduxit, vt nullam se expediendi rationem inuenire potuerint; & eorum augur *Percius* reuersus dubitationes & scrupulos iniectos tollendo, spei intermorienti animam ita reddidit, vt consilium nauis apparandæ supinè proijceretur, & illi errori suo ad pœnam luendam relinquerentur. Deus etenim qui primam nauem a Noah construi iussit ad octo illas animas fideles, puras, & selectas conseruandas, quę mundum desperationis vorticibus per peccatum demersum renouarent, noluit vt aliqua eiusmodi nauis has octo infideles, impuras, & execrandas animas conseruaret, quæ animo destinauerant hunc *Microcosmum* orbis Anglici funditùs subruere, qui toties & tam potenter sub vmbra alarum suarum ille benignissimè protexerat.

Vt Ioab osculatus est *Abner* dum gladiolo trasfigeret, Iesabel ieiunium indixit, cùm Naabothi iugulum præcideret, & *Iudas* Seruatorem osculatus cùm Phariseis proditurus erat: ita *Percius* bipedum nequissimus & *scelere ante alios immanior omnes*,

omnes, deuotè præ se tulit Beatæ Virginis imaginem exoscu- ari, postquàm Ordines Regni in altum efflando, Regem sacrum æterni filij typum è medio tollere fidem coniuratis obstrinxisset. Deus autem qui voluit vniuersis ob oculos proponere, quantum aberat, vt mater eius beatissima faueret & foueret proditores, qui se Regi eius vicem-gerenti opponendo ab ipso desciscunt, hanc hypocrisim ea macula inussit, quæ sit in admonitionem perpetuam apertis & bonis qui ex infirmitate cùm res sit fœdissima, emētita pietatis specie sæpenumero in fraudem illiciūtur, vt in ipso B. Virginis die festo (cuius Imaginem *Percius* ita amplexabatur) qu vsque ad mundi consummationem celebrabit memoriam incarnationis Christi, quem per Regis latera proditores petebant, sancitum & decretum fuit authoritate Parlamentaria de monstris illis penitus extinguendis quæ sine cuiuspiam ex Parlamentario consessu suffragio vniuersos Parlamenti Ordines simul semelque extinguere decreuerant.

Quod ad scopum *Garnete* tuum, qui ad accelerandam plurimorum innocentium stragem, Hymnum illum antiquum in Festo omnium Sanctorum cantitari solitum adhibuisti;

Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus, &c.

DEVS ille Optimus Maximus qui improborum labores & preces vitio vertit, & infidelium execrationes in eorum capita qui temerè execrantur, retorquet, votis tuis satisfecit, etsi contra quàm expectaras, cùm *Catesbeium*, *Percium*, & socios abstulisset qui suo iure supra omnes omnium seculorum *Gens perfidissima* habeantur, quique & præterita & postera secula barbara immanitate longo interuallo superarunt.

Quod ad efferuescentem illam tuam vehementiam in iurando, & peierādo contra veritatem, quam velis nolis, posteà cum rubore agnoscere, & confiteri fueris adactus. Vehementia illa, vt opinor, profluxit ex religiosa sollicitudine occultandi maiora illa crimina quæ ex Chaos in lucem emergentia labem vniuersæ Societati vestræ Iesuiticæ aspergerent. Et

hoc

hoc plane colligo, tam ex verbis tuis, quàm efflagitatione tua, vt censura imbecillitatis tuæ intra criminis tui rationem *personaliter* concluderetur.

Sed nobis maiori cessit emolumento quòd inde intelleximus inter hominum *apertorum* & *æquiuocantium* protestationes distinguere, & obseruare illos qui *verbaliter* pronuntiant, & *mentaliter* renuntiant, illosque qui in caussa *Facti* intra regulas *Fidei* non circumscribuntur. Ius quoque Ciuile iustè sanè & cum iudicio conclusit contra illum decernendum esse qui laruatus ad Tribunal accedit, & ambiguè loquitur, cùm vt satisfaceret, ex veritate planè & apertè loqueretur.

Asseuerare ausim à te *Garnete* & ab *Hallo* tuo cùm professione tùm vinculis collega certò præcogitatum fuisse, si fortè fortuna ad semi-horam sermones conserere potuissetis, postquam examinationem coram Dominis ad hanc caussam delegatis subijssetis, labia scandali ita obsignata futura, vt nihil ad iuramenta vestra infirmanda exhalari potuisset. Cùm Domini Delegati nullis adhibitis tormentis tam leniter & remissè vobiscum egerint, atque inde secretò inter duo ostia conferendi facultatem inuenistis, quod tamen vobis non melius quàm cætera successit. Occulti enim animi sensus nunc oblata occasione alacriores facti in rebus maximi momenti, quę Delegati eo tempore maxime intelligere auebant, eò confidentiæ proruperunt, vt illi qui metere non poterant, spicilegium fecerint, & multæ strophæ & versutiæ hac occasione diluxerint, quæ ex animorum vestrorum recessibus nec prece nec studio in lucem produci poterant. Epistola illa Christianè & submissè ad Papam scripta vt ebullientem nonnullorum male-consultorum Catholicorum intemperiem Apostolica authoritate temperaret & coerceret, ne quas turbas in Regno darent, magnam obedientiæ & patientiæ quam Deus præcipit speciem præ se tulit, atque itidem à te *Garnete* & tuis diuulgatum erat, vt ijs satisfieret, qui an bona fide ageretis subdubitarunt. Veruntamen multi malè metuere cœperunt ex *Watsoni* paulò ante supplicium præmonitionibus, hanc esse laruam ad fraudem integendam. Plurimi suspicati sunt malum

malum aliquid imminere, etsi quod & quale illud minimè præuiderant. Rumores passim disseminati fuerunt aliquid in Comitijs Parlamentarijs in rem Catholicorum efficiendum esse, etsi quibus medijs neutiquam intellexerunt. Experientia autem docuit caussam mittendi illam ad Papam epistolam quæ scripta postquam cadi puluere fulminali completi inter lignorum strues dispositi erant, ex timore solummodò extitisse, ne aliquis tumultus, cuiusmodi in Wallia à pauculis male-sanis Catholicis conflatus fuerat, excitaret oculos Argi fistula Mercurij iam consopitos, & omnes machinas & stratagemata disturbaret, quæ tectè, secretò, & silentèr in hoc Tartareo incœpto, in vsum erant mox adhibenda.

Ita Deus qui Achitophelis consilia pro sua misericordia labefactare statuit, permisit huius sceleris architectos ad optatum ferè finem progredi, vt re patefacta, nefaria eorum machinatio magis eluceret, regnum securitate gauderet, crimenque excusatione omninò careret. Homo enim *inimicus zizania* tam sobdolè & secretò primò seminat, vt curiosus oculus fraudem peruidere non possit, sed vt spuria vitulamina quò altiùs surgunt, parentum suorum impietatem magis magisque patefaciunt.

Greenwellus magis sollicitus vt hęc machinatio bene succederet, quàm vt Romanam fidem hîc plantaret, *Batesio* sub sigillo Confessionis iniunxit ne hanc machinationem cuicunq; Sacerdoti aperiret, adeò & infirmitatem & errorem in suis confratribus suspicabatur, & timuit ne machinatio ista, quæ illi instar omnium, interuerteretur. Tu etiam *Garnete* non minus prouidus vt saluti & existimationi tuæ consuleres, vel vt ille dixit de inuido quodam qui tui simillimus,

Subsedit dubius totam dum colligit iram;

Greenwellum prohibuisti, vt ne omninò *Catesbeio* vel innueret te conscium esse consilij, etsi res generatim tibi fuisset impertita. Huc accedit cùm *Catesbeius* alacrior tibi affirmaret rem bene successuram (tanto prudentiores sunt filij mundi *qui potius sapiunt quæ sunt carnis, quàm sentiunt quæ sunt spiritus,* vt Paulus promonet, *quàm filij Lucis*, sed hoc tantùm in sua

 generatione)

generatione) tam curiosè ex timore eras sollicitus, ne mendacij conuincereris (vt iniqui illi Iudices à Daniele conuicti in quæstione *Sub qua arbore)* vtque Confessiones tuæ sibi vndique constarent, adeò vt *quinta-essentia* ingenij ad summum gradum sublimati nihil poterat accuratiùs & exquisitiùs elaborare ad detectionem methodica quadam cuiuscunque occasionis dispositione præuertendam. Sed contra diuinæ prouidentiæ ictum contra-machinationes omnes omninò sunt irritæ, *Dies enim diei eructat verbum* , *& nox nocti indicat scientiam*, vt videre est ex illa *nube testium* quæ in nebulam Scoticam conuersa, non solùm vos & socios vestros ad cutim vsque madefecit, verum-etiam pudenda eorum ita (etiam vulgaribus oculis qui illo cruento theatro erant actores) discoperuit, vt sacerdotes ipsi alius alium deferentes, & *suorum flagitiorum proditores* tam falsi fuerint in fidei *Theoricâ*, quàm Laici eorum discipuli in Coniurationis *Practica*. Etenim non minùs mirum quàm nouum præpotentem illum Deum (qui nos docet, etiam volucres coeli in medium prolaturas consilia illa quæ clandestinò & intimo infidelis subditi penetrali contra Regem agitantur) ita detectionis instrumenta apparauit & aptauit, vt archana illa quæ in Confessione inter ipsos Sacerdotes agitata, per ipsos prodita, hodie & in hoc celebri loco excutienda & iudicanda palàm proponantur.

Nunc calculos demonstrationis subducam & colligam, ex quibus diuini Numinis indignationem peruidemus (quod ad miraculum vsque in substantijs transmutandis, & proprietatibus variandis, vt quod velit, efficiat, operatur) cum summo & supremo obiecto ad quod vos nefandissimè collineastis, scilicet exitium longè iustissimi, eruditissimi, munificentissimi, moderatissimi, & mitissimi Regis, verè & ex animo loquor (a seruili adulatione alienissimus) qui vnquam vel in Anglorum, vel Scotorum Annales relatus. Ius eius, cor eius, lingua eius huic regno fœlicitatem optauit, & securitate optata beauit, quam si vos, & vobis coniurati dedignanimi, aut contumaciter aspernamini, fausta ipsius optata in ipsum reuertentur, & puluis pedum ipsius qui nunquam fuere *veloces ad sanguinem effundendum*,

effundendum, die nouissimo nubem inter vos, & æternum Iudicem, vt ingratitudo vestra plectatur, excitabit. Quodnam crimen est (si dijs placet) quod scrupulosis & curiosis illis offensam pariat, (conscientia excepta cuius ratio nec Brunoni, nec Ignatio sed vni Deo reddenda) quo dicatur Regem ob oculos eorum puluerem sparsisse qui violentissimi erant, & occupatissimi in fomite colligendo, & igne accendendo, ad Agnum illum sacrificandum, cuius innocuus sanguis perinde ac Abelis, vindictam in auribus Dei efflagitasset contra execrandam illam coniuratorum sentinam, si res illis ex voto cecidisset.

Obiter non possum non semper admirari prouidentiam & pietatem huius ter fœlicissimi Regis, huius *Pacatoris orbis*, (quod Constantino Maximo maximum fuit attributum) qui studet & contendit Imperij sui thronum constabilire neque Apollinis Delphici tripode, id est, vt Apollinis mystæ interpretantur, Celeritate, Obseruatione, & Subtilitate, nec illis Leonibus & Leonum catulis qui gradus Throni Salomonis exornarunt, vt animos iuuenumque senumque ad fortitudinem excitaret, sed iuxta Anglici nostri Imperij præscripta tribus columnis CONSCIENTIAE, HONORIS, & CHARITATIS POPVLARIS, idq; tam solidè & firmè vt filij *Belial* nec spem, nec facultatem habeant vllam sua vota consequendi nisi hæc tria vno ictu funditùs exciderint, & extirpauerint, Præsules scilicet, Proceres, & Plebem, *vt cespes vnus, & Regem nostrum & Rempub. tegeret*. Itaque periculum in quo iam versamini non nouum videatur, ex alia triplicitate a Salomone memorata, vt ex æqua ratione efferatissimi vestri consilij in Principis & Patriæ ruina molienda, supplicio plectamini; *quia funiculus triplex non facile rumpitur*. Hominibus enim varijs & tortuosis ingenijs qui incertò collineant subinde vsu venit, vt vel iudicij oculo, vel exercitationis manu paulululum aberrante, cùm ambitionis scopum petant, ad extremi supplicij metam pertingant. Itaque nemo vel nunc vel postea dixerit eos qui hodie in caussa execrandæ huius proditionis pro Tribunali sedent Iudices manus in Hypocrisi

cum Pilato lauare, quandoquidem tu & tui qui hîc iudicandi, manus vestras cum Dauide Propheta *inter innocentes lauare* non possitis.

Reges quæ oblata sunt sine prægustatore non sunt soliti gustare, peruicatiam vestram in hoc quòd huic Reipublicæ vniuersę bene precari recusaueris, approbare haudquaquam possumus. Nec alius est *Garnete*, qui meliùs nouit cuius scripti authoritate fidelibus liceat *in poculo quod nobis miscuistis miscere vobis duplum*, cùm destinatum vobis esset (si res ex animi sententia successisset) vt ab ipsis inciperet. Verùm hinc manifestum est, quòd virtutis cursus (simodo tibi inerat quod homines expectârunt) erat *celerior quàm ætatis*, quodque vita tua fidei tuæ in Principem superstes fuerit.

Plusquam difficile est homini qui tanta meritorum magnitudine & amplissimis beneficijs Principi sit perinde ac ego ipse obstrictus, inter animi affectum, & veritatem medium ferire, vel præoccupando tam prouidè sibi consulere, vt nulla aranea è rosa venenum hauriat. Verumenimuero iacta est alea, cumque nec mihi sit cordi Principum auribus inseruire, & cubitis puluinos assuere, nec Regi nostro voluptati, vt famuli eius fidissimi, & Consiliarij fidelissimi cum Prophetis illis assentatoribus in diebus Michæ, *placentia potiùs quàm solida* eloquerentur. Hanc solummodo vestra bona cum gratia libertatem efflagitarem, quæ in priuatorum hominum causis æquis animi affectibus permittitur, hoc est, vt illius Regis exemplar ob oculos obseruationis, suis coloribus & symetria exhibeam, in nullam partem nimis propendendo (*quia iniquus sit dignitatis Iudex, qui aut inuidet aut nimium fauet*) simulque vt ad eluendam iniuriam illi conflatam, & penecillis præiudicij aspersam & aspergendam, pro officij ratione præter meriti obligationem, ingenij neruos intendam & viribus quantum possim maximis contendam, vt Regis iustissimi & dignissimi furenter & iniquè impetiti dignitatem studiosissimè tuear & propugnem. Quis Cacodæmon *Garnete*, te & tuos ad patriam conuellendam impulit, quæ te suo vtero non concepit vt perinde ac viperarum progenies in vitam

cum matris exitio prodires, quæ te peperit, fouit, & enutriuit? Fieri enim non poterat quin Respublica *in ipsa vindicta libertatis* (vt tuo verbo vtar) *esset peritura*, cùm *Catesbeius* & perditisimorum turba non *subigere nostram vrbem* vt Atheniensis Orator de Philippo dixit, *sed funditùs euertere* statuerunt, cùm illis compertum esset eos qui cladi superfuturi essent *seruire neque voluisse neque potuisse*. Quæ causa subfuit vt cuniculos ageretis in firmisimum vestratium charisimorum propugnaculum qui integerrimi Regis temperamento viuentes sub *Libra*, hoc est sub aurea Iustitiæ, moderationis, & gratiæ catenâ, ægrè dijudicare in animis possint an dies vel noctes illis protrudantur hilariores. Neque enim fieri potest his diebus vt *Virgo* signum illud sterile, vel orbitate vel ætate periculum inferat, neque vt *Taurus* latera nostra anticipatione sauciet, neque vt *Scorpio* aculeo pungat, neq; vt *Sagitarius* renes nobis transfigat, nec *Aries* machina Romana infestis cornibus Parlamenti nostri mœnia diuerberet, *Tempestas abijt & ecce noua facta sunt omnia*.

Regia Maiestas primo in Regnum aditu nos diuturni belli inueterato & exulcerato malo laborantes & admodum extenuatos inuenit: At quod remedium adhibitum? Prudentiæ radius opportunè ex multiplici prudentisimi Regis vsu deductus, vt pax cum omnibus nationibus in circuitu iniretur, vt quilibet subditus vmbraculo suæ ficus, & fructu suæ vitis à *Dan* ad *Beersheba* frueretur. Facilè credo, *Garnete*, hanc ineundi pacis rationem vobis & vestris consilijs minimè respondisse, qui maiorem quæstum facere voluistis piscando in aquis turbidis, & expectando cum coruo, qui, quando Leo & Leopardus in certamen prodierunt, classicum sonare cœpit, spe certè concepta cuicunque victoria cederet, vt alter ipsi in prædam cederet. Cumque perditisimorum illa apud Lucanum colluuie tu precatus es,

Non pacem petimus, Superi, date gentibus iras.

Nos certè interim alio animo, & alia spe fuimus, vt vos nostra tranquillitate diutius conficeremus, priusquàm in hanc intemperiem nos impelleretis, quę amicos vestros coniunctisimos

iunctissimos, & fortunas vestras omninò deploratissimas effecit. Quibus modestè petentibus cum Paterculo dicam *quod tumultuando adipisci petyistis, quiete obtulisset Respublica.* Pax scopus est ad quem Spiritus Sanctus omnes deuotos animi affectus dirigi præcepit. Nouacula est quæ iugulum clamantium peccatorum prǽcidit, Angelus ille bonus est qui horrorem ex Christianorum conscientia expellit, cùm mors minatur, potissimùm signum est quo Seruator noster discipulos ab Hypocritis internosci voluit, & gemma est pretiosissima & postrema quam ille ad Patrem ascensurus Ecclesiæ sponsæ suæ legauit, itaque preces nostræ ex diametro vestro exorcismo oppositæ sint.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Sed quantulum temporis quæso *Garnete* elapsum est, ex quo animus singulis fidelissimis huius regni subditis ferè fractus & consternatus concidit, præ timore in quos scopulos & priuatè & publicè omnium fortunæ impingere poterant, quandocunque Debora ex huius vitæ statione demigraret, & cum maioribus requiesceret, quia certus successor non erat designatus, in quem solum Israel & ad conscientiam recreandam, & obsequij fidem certo dirigendam oculos conijceret. Illis temporibus strictis calamis, & editis libellulis, Ordines Regni facilitatis immodestæ aut minus certè Christianæ insimulastis, quasi tempori præsenti cum periculo seculi futuri assentarentur, dum hominum cupiditates futuris malis præponerent, & totius Regni molem senectutis baculo quasi æternitatis polo confidenter imponerent. Tunc temporis ad inflammandos animos in aures insusurrare vobis lubuit, quàm grauitèr ratio die nouissimo a Regina exigeretur, quia priuatis suis rationibus Regnum in dubiam aleam deuocauerit; & ab alijs quòd pro inclinatione temporum illius rationibus obsequenter inseruierint, adeò vt nisi præpotentis Dei dextra subuenisset, meticulosus eorum timor Reipub. perniciem importasset. Nihil tunc Catholicorum multorum sermonibus magis percrebuit, quàm iniuria illa illata certæ & legitimæ soboli illius Reginæ quæ (pro cespite

spite quem in possessionis signum ritè effoderet) tumulo suo aditum filio in ius & possessionem horum Regnorum aperuit. Quasi cum Guilielmo *Conquestore*, qui quando in ipsa prima eius in Angliæ littore excensione fortuitò in terram procidens, dixerit, *Terram capio*; ita illa vitam suam demittendo, *liberationem* & *seisinam*, vt loquuntur, pro filio vt hæreditatem suam adiret, accepit, vitam dico suam, quæ magis pretiosa quàm vel animus meus cogitando, vel calamus scribendo consequi possit.

Liceat mihi bona vestra cum gratia, vos S. Pauli verbis & potius veritatis zelo, quàm obtrectationis studio, percunctari, *O insensati Galathæ quis vos suscitauit non obedire veritati?* Quis vos impulit remedia ad inueteratam infirmitatem medendam salutaria aspernari quasi ex *coliquintida* composita, quæ ex superiorum temporum odio tanquam medicamenta præsentanea solummodo expetijstis? Quamuis enim quibus tantillum erat vel ingenij, vel sensus communis facile perui dere poterant, quid de illis fieret qui die demonstrationis cum *Seba* filio *Beleal* tubæ clangore auderent protestari nullam sibi esse partem in *Dauid*, neque hæreditatem in filio *Iessæ*, & itaque *Israeli* liberum esse in sua tabernacula redire. Non possum tàmen non agnoscere, quòd prudentiores *in omnem euentum*, (vt solidum sibi fundamentum substruerent) ingenti pecunia publicam securitatem redemissent, quæ legum authoritate tunc fuit suppressa & suspitionis nube obducta. Nos minimè fugit *Garnete* quot in vindictæ opportunitatem *diem luctus* cum Esa expectarunt. Nouimus qua ratione & quibus instrumentis nonnulli corpore graues, & animo imbecilliores instar Buteonum in agro nouali *vi turbinis* ad illud culmen semet excitare sperarunt, quod inconsiderata ambitio imprudenter sibi affinxerat.

Clare perspicuum est quod *Ismael* cum *Isaac* consors esse voluerit, & plura indicia animorum aspirantium indies in lucem prodierunt, vt Eteocles, & Polynices hæreditatem acuto gladio dispertirentur. Sed vt Paterculus de Romani imperij securitate præter omnium opinionem post Augusti obitum

tum scripsit, cuius Regni *ruinam timueramus, eam ne commotum quidem sensimus, tanta fuit vnius viri maiestàs, vt nec bonis neque contra malos opus armis foret, cum quicquid tuendum non suscepisset, solummodo periret.*

Nunc autem (diuino numini gratiæ persoluantur) beata securitate procul a gemitu & meticulosa sollicitudine ita fruimur per hæc redolentia oliuæ germina quæ misericordiæ sedem incingunt, vt *Dolmanus* verè doleat quòd dolare & terebrare in splendidissimam & spetiosissimam hanc stirpem neutiquam possit, in quam acerbiores dolorum surculos inserere moliebatur.

Adhæc nemo inficias ire potest si amplissimæ huius Insulę conditio ex sua integritate, & partium vnitate consideretur quasi paralyticam tam neruorum resolutione, quàm sensuum priuatione iacuisse, quamdiu Scotia ab Anglia fuit seiuncta. Et ex obstipatione in diuisis capitibus (quo minùs spiritus liberè per vniuersum corpus ad sanitatem tuendam permearent) ex minima intemperie *symptomatica* in Apoplexiam mortiferam erat prolapsura. In Seruatore nostro misericordiæ erat manum aridam sanare, aridam dico, quoad exiguum vsum nobis, quamuis quoad se agilis, valida & potens fuerit. Prudentiæ erat in Cæsare posticum occludere, per quod Germani ad disturbandam Galliam irruperunt. Solertiæ etiam erat magnæ in Seuero, illos à nobis vallo hostili seiungere, quos nunc diuinum consilium in æternum animo fraterno fœlicissimè nobis coniunxit. Spiritus enim sanctus solum & solitarium consistere pro maledicto habet quia nullum habet proximum qui cadentem subleuet. Palmes non diutius gemmascit, quàm viti sui natiuæ & propriæ insit, quàm eodem succo nutriatur, quàm eadem radice firmetur, & ab eodem vinitore amputetur. Ita Anglia & Scotia quasi Hippocratis gemelli qui vnà rident & collacriment, vt Castor & Pollux, qui vnà oriantur & occidant, sunt manus vnius corporis naturalis, & Politici, quæ inuicem se lauent, & fricent, vtque semel dicam, sunt cor illud & cerebrum ita harmonicè connexa & colligata vt sine absoluta

vtriusque

vtriusque vnione fieri non possit, vt Insula Britannia aut potenter se moueat, aut internè sentiat, aut securè spiritum ducat.

Maiores nostri in votis habuerunt fœlicissimum hunc diem videre (non dicam vt Abraham dies Christi videre sitijt, ne audacula videatur comparatio) sed vt qui sub cœli vertice Solem videre auent, vt ex consultationibus & *Tractatibus* temporibus prudentissimorum nostrorum Regum Henrici scilicet Tertij, & Septimi constat apertissimè: atque etiam quòd Henricus Octauus maximopere incubuit, vt nuptiæ facillimis conditionibus inter Mariam Scotorum Reginam & Edwardum Principem filium eius primogenitum contraherentur. Superioribus seculis impedimenta interuenerunt, partim operâ Principum externorum, qui æquis oculis Angliæ & Scotiæ Coronas vnitas intueri non poterant, & partim discidijs internarum factionum in vtroque Regno, quæ ex leui & priuato metu opportunitatem oblatam omninò neglexerunt. Deus ipse vnionem inter Regna *Israel* & *Iuda* (eadē ratione qua nostra multis seculis separata) conciliauit, & hoc quasi beneficium maximū,& æternæ benignitatis suę argumentum expresissimum, quod vtrique Regno deferre poterat, esse voluit, *vt esset Rex vnus omnibus imperans, vt non essent vltrà dua gentes, nec diuiderentur ampliùs in duo regna.*

Multa argumenta vt animos huc inducerent proposita fuerunt, multæ rationes quæ æmulationem tollerent exhibitæ, multa instrumenta pulcherrimę occasionis superioribus temporibus admota, sed irrito labore, quamdiu Prudentia hæc disceptauerit, potius quàm Iustitia determinauerit. Porro nondum *tempus erat a somno surgere*, sed hoc nostrum seculum *plenitudo est temporis*, in quo tot efficientes caussæ & rationes ad vnam æquatæ fœlicitatis in vtroque regno conclusionem concurrunt, vt nisi nos imminuerimus, quod maiores nostri cum minori opportunitate amplificarunt, nisi extenuauerimus quod illi sunt admirati, nisi reiecerimus, quod illi approbarunt, & quodammodò diuini numinis gratiam quæ pro foribus adstat repulerimus, nobis agnoscendum est *non fecisse*

Deum taliter omni nationi. Rex enim noster *Pacificus, Delitiæ gentis Britannicæ,* noster *Leo Rubeus* (qui iuxta Merlini vaticinium dextra *nouæ Troiæ* propugnacula, sinistra syluam Calidoniam gestaret, quod in alium Britanniæ Principem non poterat hactenus conuenire) Deo Optimo Maximo auspice tam ANGLIAE, SCOTIAE, & HIBERNIAE membra in Imperij corpore, quàm Stemmata *Eadgari, Fergusij, Conquestoris, Murchardi,* & *Cadwalladri* in vno coniunctionis centro adunauit, & inde quasi ex multis aquis *Margaritam pretiosam* composuit, quam vt comparemus, potius quàm è manibus elaberetur, grandi pretio emere debemus, vt prouidus ille Mercator cuius meminit S. Lucas, *qui inuenta vna pretiosa Margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit vt emeret eam.*

Consilium illud diuinum Regis nostri (qui subditorum suorum animos, voluntates, & conatus nodo indissolubili colligare satagit, vt nō sit penes homines separare quod Deus coniunxit) Margaritę potius quàm alteri quantiuis pretij gēmæ assimilo, quia nomen illi erat *Margareta,* per quam eius Regia Maiestas recta serie, iusto titulo genus suum ab Anglo-Saxonum Regibus deducit, quia etiam illi nomen erat *Margareta* quæ Regis Henrici Septimi filia natu maxima in stirpem Charissimi Regis nostri IACOBI ius certissimum, & vt ita dicam radicale illustrissimarum familiarum Eboracensis, & Lancastrensis, fœlicissimè inseruit. In quo *ex abundante* obseruemus, quòd periodo vnius seçuli confecta, à quo illustrissima illa Princeps fœlicissimo matrimonio in bonum huius Insulæ Iacobo Quarto Regi Scotorum coniuncta fuerit, IACOBVS Sextus Princeps incomparabilis, pronepos lætisono *iubileo* horum regnorum possessionem auspicatissimè est ingressus. Libens lubensque in priuatum meum solatium, & gratam officij mei memoriam erga benignissimam huius Regiæ propaginis munificentiam (si corpus opacum tot & tam lucidis syderibus intermiscere fas sit) vel verbo recordari, & quasi per transennam varias vices & reuolutiones familiæ meæ intueri velim. Nam vt Dux Norfolciæ

paratissimus

paratissimus erat Serenissimæ illi Principi Rege iubente administer constitutus ad has nuptias plenè conficiendas: sic eius pronepos ex iniqua dimissi animi interpretatione, subdola versutia, & tenui suspicione, tum vita, tum dignitate fuit spoliatus, quia intentis oculis in orientis huius gloriæ radios nimis intueretur. Et Rex noster Serenissimus certus & indubitatus hæres pretiosissimæ illius Margaretæ (cui Dux ille operam tunc dedit) diuinitùs est reseruatus ad intercidentis huius familiæ honorem restaurandum, quæ contumeliarum nube fuit obducta, & quasi ad exuccæ huius arboris radicem repastinandam, cuius folia deciderant, & pulcherrimi rami emarcuerant. De me quem pro Regia benignitate munificentissimus meus Dominus & rex colendissimus maioribus beneficijs cumulatè ornauit, quàm ego vel *sub spe* promereri, aut *in re* effari possim, hoc solum & beneficentiam agnoscendo, & singularem fauorem cum admiratione suspiciendo vsurpabo:

Vltimus hic ego sum qui quàm benè, quàm malè, nolo
Dicere, qui de me iudicet, alter erit.

Margareta etiam nominata fuit Comitissa illa Lenoxiæ, ex qua, vtique filia Margaretæ Reginæ Scotiæ, ex secundis nuptijs cum Comite Angusiæ, altera regiæ huius prosapiæ stirps in personam regis nostri ex parte paterna insita fuit, ad vnionē si fieri possit & sanguinis & iuris duplici regię familię ornamento solidiùs consolidandam. Non erat illa Margareta fateor, verùm Maria illustrissima quæ postremò fermētum acceptum quod hęreditario iure in tria regna accepit, vt prudens mulier apud Euangelistam, in tres massas distribuit, donec filius eius auspicatissimus perpetuæ pacis nostræ fundator, omnes plenè & perfectè fermentaret.

Nunc vt ad metam perueniam, & rerum summam quod vnicum huius vnionis, & terminorum adunatorum vinculum, Regem scilicet nostrum dignissimum, cui comprecamur:

De nostris annis tibi Iupiter augeat annos.

Quem tu & asseclæ tui *Garnete*, in tantorum erga hanc in-

sulam meritorum præmium tantoperè accelerastis vestris fulminalibus machinationibus in altiorem regionem quàm qua Deus ipse thronum eius constituit sufflare & tollere, vnà cum parietibus & ædificijs quæ ex antiqua fide inueni à S. Edwardo *Confessore*, è cuius familia Rex genus ducit, constructa fuisse: vt Rex alter sepeliretur, & alter ex eius prosapia potentissimus intra vnius momenti ambitum funditùs deleretur. Vtcunque lubuit *Garneto* obliuisci hunc locum Canonum authoritate in perfugium & asylum miseris fuisse consecratum; Deus tamen *Iudah* in Dauidis serui sui gratiam perdere noluit. Diuino eius consilio itidem visum est pietatem Sanctissimi illius Regis in hâc pulcherrimâ eius propagine perpetuare. Iustitia etenim diuina quæ pro Atheismo habuit *Margaritas porcis* aut *Sanctum Canibus* proijcere, perditissimorum horum malitiam in tantas angustias compegit, vt illi sancti *Confessoris* ædificia sanguine polluere, etiam sub professionis S. Edwardi laruâ, posteritatem S. Edwardi radicitùs extirpare non valuerint. Ex Prouerbijs certò edocti sumus quòd *domus iustorum permanebit*. Sed commodiori consequentia factum est vt perfidi *Percij* cranium procubitoris instar in specula sublimè staret, vbi nuper suffossorum fuit præfectus, & *Lambetha* esset *Catesbei* Horizon, quæ modò fuit eius armamentarium. Et eorum malesana capita relinquerentur *tanquam malus nauis* (vt cum Porpheta loquar) vt viatores admoneant quàm iusto fato prædatorij illi pyratæ extremum vitæ diem concluserint, dum vellus aureum non Iasonis virtute, sed Medeæ venificio inuestigarent.

Vt summatim dicam, ex sapiente ediscamus, nullam esse contra Deum vel sapientiam, vel consilium, & conuulsi nauigij latera sunt infirmiora quàm vt rupem in quam impingunt, conuellant. Asinis frustrà calcaria admouemus, cùm Angelus Dei sit *ad oppositum*. Iacob neruo contracto dum vixit claudicauit, postquam cum Deo tamdiu irrito labore colluctatus erat. Homines nihil aliud quàm damnum sibi accersunt qui contra stimulos calcitrant. In eiusmodi cona-

tibus *nec volentis est, nec currentis, sed Dei solius miserantis* eorum qui ad disciplinam se conformant; *Sortes enim mittuntur in sinum*, sed Deus est qui sortes disponit. Quamuis idem erat vobis consilium quod *Achabo* & *Iezabellæ* dum *Naboth* iugulum pro vinea peterent. Quamuis tu Hymnum tuum, ante hoc nefarium factum decantasti, vt illi ieiunium indixerunt. Quamuis vos in lectulos vt *Achab* cum animi ęgritudine proiecistis, quòd ex animi sententia vobis non successerit; attamen cùm nec occidere, nec possidere poteratis, vobis quàm illis sors obtigit infœlicior. Præpotenti enim & præuenienti Diuini Numinis gratia, omnis opportunitas, & rationes omnes tam extinguendi eos quos odistis, quàm possidēdi ea quæ expetijstis, omninò pręclusę fuerunt. Consultissimum enim vobis erit tam multiplici rerum vsu edoctis confiteri, cum quibusdam erronibus in libro Sapientiæ, *lassatos esse vos* vijs obliquis & salebrosis, ex quo à via Regia aberrâstis, quæ neque ad ignominiam ducit, neque in calamitatem desinit. Nihil materiæ magis proprium est, vt habent Philosophi, quàm fluere, *nisi à forma sistitur*, nec quicquam magis proprium humanæ naturæ (iuxta veritatis regulam) quàm errare, nisi gratia dirigat. Mahometes in Alchorano agnoscit thronum Christi patientia, Mahometis autem vindicta, illum miraculis, hunc tyrannide exaltatum fuisse. Christianorum qui Tertulliani tempore afflicti fuerunt, modestia & pietas (vt ille prodit) eluxit, quòd in conscientiæ caussa *à suffocato & sanguine abstinuerint, ne quo sanguine contaminarentur, vel intra viscera sepulto.*

Ignosce *Garnete*, quamuis subdubitem an in conscientiæ caussa sponte & obfirmatè Esaiæ serram, Hieremiæ compedes, Petri patibulum, Iacobi ensem, Stephani saxa subire volueris, multò minùs inter vestræ professionis homines stipem colligere ad sacrificium deuotè immolandum pro salute Nabuchadnozeris, cuiusmodi Regem nostrum existimatis, cuius vitæ vt rabidæ tigres insidiati estis, & præ impatientia vos

tæduit clementiæ & lenitatis, qua pro Regia misericordia erga vos vsus est, priusquam scena ad illam tragœdiam fuerat apparata. Adeo vt tu iure cũ Seneca dicas, *nihil fœlicitati meæ deerat nisi moderatio eius*. Aurea illa Prophetarum solatia peccatoribus contritis maioris pretij vobis hoc tempore sunt æstimanda, quàm vniuersæ gazæ Vaticanæ. Conscientiæ vestræ conuulsæ clauum rectiùs in hac turbulenta & difficillima tempestate (quam vos vobis excitastis) tenere non poteratis, quàm Lactantij consilio, qui asseuerat verè pœnitentibus *optatum portum esse mutationem consilij*. Postquam demisso animo peccatum in fratres atrocissimum cum filijs Iacob agnoueritis, simulque hac de causa fatalem calamitatem vos grauissimè oppressisse: primùm diuino numini gratias quantas possitis maximas ex animo agite, quòd perniciosissimum molimen præuerterit, quod vestris animabus grauissimo iudicij oneri erat futurum, & nefarium vestrum consilium in maximum sibi honorem conuerterit. Deinde clementissimo & mitissimo Regi gratias cumulatè persoluite qui (quod in ipsum machinatis estis) ex improuiso vos opprimere noluit, vt Leui Sichemum *quando dolor vulnerũ erat grauissimus*, nec vos in maximo clamantis vestri peccati horrore & cruciatu acerbissimo adoriri, sed ad æterni Dei imitationem, cuius vicem gerit, cuius vestigijs inhęrere gaudet, iuxta illud in libro Sapientiæ, *Dat tempus & locum per quæ potestis mutari a malitiâ.* Ab vniuersis & singulis veniam exposcite, quòd posteris seculis eiusmodi exemplum præbuistis tam infandum facinus perpetrandi, quod pro hominum captu & varia ingeniorum inclinatione tam *admonere* huiusmodi scelera perpetrari posse, *quàm prohibere* poterit.

In memoriam discrimen reuocate, quod Theodoretus inter supplicium & supplicij causam, inter tormenta ad conscientiam cogendam & pœnam ex lege constitutam ad scelera vindicanda interposuit. Vtque postremam meam admonitionem, cum vestra occasione postrema concludam,

Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

Quoniam

Quoniam *hæc vos ſapere vel mori iubent* : ſimulquè optimo Principum cui peſsima imprecati eſtis, comprecemini vt Martialis Traiano:

Dij tibi dent quicquid Princeps Auguſte mereris
Et rata perpetuò, quæ tribuere velint.

H. Northampton.

Hac Oratione (quoad temporis anguſtiæ permiſerunt) habitâ, Primarius Angliæ Iuſtitiarius cùm de perſpicuis argumentis, dictorum factorumque probationibus quibus reus peractus erat *Garnetus*, grauiter, ſolidè & præclarè peroraſſet, ſententiam receptis verbis pronuntiauit, vt traheretur, ſuſpenderetur, & in partes diſſecaretur. Iuſtitiarius Primarius.

Comes Salisburienſis *Garnetum* interrogauit, ſi quid ampliùs dicturus erat. Comes Sal.

Reſpondit Garnetus, *Haudquaquam mi Domine. Veſtras autem Dominationes quàm poſſum demiſiſsimè rogo vt vitam meam Regiæ Maieſtati commendatam habeatis, pro cuius arbitrio aut mori, aut viuere, ipſique inſeruire ſum paratiſsimus.* *Garnet.*

Conuentu iam ſoluto, *Itum eſt.*

SVP-

Concludam [illegible] Principem, cui pessima imprecati estis, cum precatione Martialis Traiano:

Dii tribuant quicquid Princeps dignus merearis
Et rata perpetuo quæ tribuere velint.

H. Northampton.

Hac Oratione (quoad temporis angustiæ permiserunt) habita, Primarius Angliæ Iusticiarius cum de perspicuis argumentis, Iectorumque factorum probationibus quibus reus peractus erat *Garnetus*, graviter, solidè & præclarè perorasset, sententiam receptis verbis pronuntiavit, vt traheretur, suspenderetur, & in partes dissecaretur. Iusticiarius Primarius.

Comes Salisburiensis *Garnetum* interrogauit, si quid amplius dicturus erat. Comes Sal.

Respondit Garnetus, *Nihil quicquam mi Domine. Verumtamen Dominationes vestras quam possum demississimè rogo vt etiam meam Regiæ Maiestati commendatum habeatis; pro cuius arbitrio aut mori, aut viuere, ipsique inseruire sum paratissimus.* Garnet.

Conuentu iam soluto, Dimissus est.



SVPPLICIVM DE HENRICO GARNETO *Superiore Iesuitarum in Anglia sumptum.*

DIe tertio mensis Maij *Henricus Garnetus* extremum supplicium subijt in pegmate ad id destinato, iuxta portam Occidentalem Ecclesiæ Cathedralis S. Pauli Londini. Cùm in pegma ascendisset, quasi attonitus constitit, ipso vultu timorem & mentem malè consciam facilè prodente, Decani Sancti Pauli, nec non Ecclesiæ Wintoniensis qui aderant, admodum grauiter & Christianè illum ad veram & viuidam in Christo fidem, ad ingenuam & publicam criminis confessionem adhortati sunt, & si qua alia proditoria machinatio ipsi comperta esset, ne reticeret, sed conscientiam exoneraret & cum dolore se detestari demonstraret. *Garnetus* autem qui impatientior

has illorum adhortationes iniquo animo tulit, eos rogauit ne sibi negotium facesserent, qui animo ad mortem parato & firmato accesserat. Tunc *Henricus Montague* Ciuitati Londini A memoria siue *Recordator* qui à Rege iussus ibi adesse, *Garnetum* interrogauit si quid haberet quod populo circumstanti communicaret, nullum iam tempus esse simulandi monuit, cùm eius crimina omnibus manifesta & in medio essent posita, itaque simodo vellet, vniuersis testaretur quæ sui ipsius esset de seipso & criminibus illis sententia; integrum enim esset sibi quę luberet eloqui. At *Garnetus* qui hæc inuitus audiuit, respondit, vocem eius adeò esse submissam, viresque extenuatas, vt si populum alloqueretur, exaudiri non posset. Adstantibus autem in pegmate dixit, consilium fuisse sceleratum, & susceptum scelus fuisse immane, & eiusmodi vt si peractum fuisset, non potuisse non ex animo auersari. Addidit se tantùm à *Catesbeio* in genere intellexisse, & in hoc tamen peccâsse quòd celauerit, & præuertere neglexerit. Quæ autem in particulari nouit, dixit se tantùm sub sigillo Confessionis accepisse. *Recordator* verò monuit vt in memoriam reuocaret hæc quatuor quæ inter alia Rex propriâ ipsius *Garneti* manu consignata habuit.

1. *Greenwellum* illi rem significâsse non vt peccatum, sed quam ipse priùs intellexerat idque consultandi gratiâ.

2. *Catesbeium*

2. *Catesbeium* & *Greenwellum* ipsum accessisse vt in scelere suscepto confirmarentur.

3. *Tesmondum* & ipsum colloquium de particularibus in proditione illa per puluerem fulminalem satis longo pòst tempore in Essexia habuisse.

4. *Greenwellum* interrogasse *Garnetum*, quis regni *Protector* futurus erat? *Garnetumque* respondisse id differendum esse donec res esset acta & transacta.

Hæc euincunt scelera illa aliunde quàm ex Confessione tibi comperta fuisse, & hæc tui ipsius manu consignata habentur. *Garnetus* respondit, quicquid sub manu sua consignatum fuerat, verum esse, quòdque quæ sibi comperta Regiæ Maiestati non apperuisset, mortis sententiam iustissimè in eum fuisse pronuntiatam, veniamque à Regia Maiestate precatus est. Hinc *Recordator* duxit eum ad pegmatis marginem vt eius confessio à populo audiretur.

Tunc *Garnetus* inquit: Huc accessi hoc festo die *Inuentionis Sanctæ Crucis*, vt finis imponatur omnibus crucibus quas in hac vita pertuli. Supplicij mei caussa vos minimè latet, me in Regem peccasse confiteor, quod mihi est dolori, quoad malè conscius fui, scilicet in reticendo; & hoc nomine veniam à Regia Maiestate supplex peto. Machina-

tio contra Regem & Regnum ſanguinolenta erat, quamque ſi peracta fuiſſet ego ipſe intimis ſenſibus & toto animo deteſtaturus eram. Doleo ſanè maximè, & peracerbè fero Catholicos tam atrox & immane facinus ſuſcepiſſe. Tunc à populo conuerſus, ad circumſtantes Apologiam pro *Anna Vaulx* inſtituit. Spectatiſſimæ, inquit, fœminæ labes immeritò aſperſa eſt, quia vulgò perhibetur me illam in vxorem duxiſſe, vel quod peius. Ego autem contrà proteſtor, fœmina eſt virtute prædita, & quod ad me virgo intacta. De *Breuibus* illis *Papalibus* , *Edmundi Baynham* in exteras Regiones profectione, & de machinatione illa cum puluere fulminali ſe ad actionem in ipſum habitam & ſuas ipſius Confeſſiones retulit, quia quicquid ſub manu ipſius in Confeſſionibus extat verum eſſe agnouit.

Ad mortem iam ſe accingens ad ſcalam qua in patibulum aſcendendum erat, in genua procubuit, & percunctatus eſt, an ſibi liceret orare, & quàmdiu. Reſponſum erat ſibi tempus ipſe præſcriberet & quod nemo interturbaret. Videbatur non potuiſſe conſtanter & deuotè orare mortis terrore vel veniæ expectatione diſtractus; inter orandum enim ſubinde intermiſit, circumſpexit, & reſpondit ſi quid inaudiret, dum orare videbatur. Cùm iam ſurrexiſſet, *Recordator* ex geſtu obſeruans illum veniæ expectatione quaſi torqueri, monuit ne ipſe ſibi & animæ ſuæ fraudem faceret, cùm iam ad mortem adductus eſſet, & ipſi moriendum; ſimulque poſtu-

lauit

Iauit ne ſupremum iam ſpiritum æditurus *æquiuocaret*, ſin aliquid quod Regi aut regno fraudi eſſet nouerit, enuntiaret. *Garnetus* reſpondit. Non hoc tempus eſt *AEquiuocandi*, quouſque *AEquiuocare* licitum, & quando, iam alibi ſententiam explicaui meam, nunc autem minimè *AEquiuoco*, & plura quàm confeſſus ſum, haudquaquam noui. Cùm ſcalam aſcenderet, petijt vt admoneretur priuſquam ſcala ſubmoueretur, reſponſum eſt nihil aliud quàm mortem expectandum eſſe. Iam ad patibulum huiuſmodi verbis vſus eſt: Omnibus bonis Catholicis me commendatum habeo, Deum comprecor, vt Regiam Maieſtatem, Reginam, Regiam Sobolem, & Dominos à Sanctiori Conſilio tueatur, quos quàm officioſiſſimè ſaluto, & quibuſcum ſimulatè me egiſſe malè me habet. Verùm non putaram illos ea contra me indicia & argumenta habuiſſe, donec coràm produxiſſent. Tunc enim maiori honori mihi duxi confiteri, quàm anteà meipſum ſubaccuſaſſe. Quod ad fratrem meum *Grenwellum*, in votis habeo vt veritas eluceſcat, falſi enim rumores illi maiora quàm admiſit crimina affingunt. Ego illum in crimen neutiquam vocaueram, niſi illum iam extra periculum eſſe exiſtimaſſem. Faxit Deus ne grauiùs cum Catholicis meo nomine agatur, eoſque adhortor ne eiuſmodi proditionibus & rebellionibus contra Regem ſe immiſceant: ſimulque orare cœpit, & cruce ſe ſignans dixit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Maria mater gratiæ, Maria mater miſericordiæ, Tu*

me à malo protege, & hora mortis suscipe, In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Iterum se signans, *Per crucis hoc signum fugiat procul omne malignum, Infige crucem in corde meo Domine, Fac vt semper crucis meminerim.* Et denuo incœpit, *Maria Mater gratiæ.* Tunc scala submota suspendio vitam terminauit.

